AVGVSTI GOTTLIEB RICHTER D.

Potentiſſimi Magnae Britanniae Regis Archiatri, Medicinae et Chirurgiae Profeſſoris Publici Ordinarii, Collegii Chirurg. Praeſidis, Societatis Regiae Scientiarum Gottingenſis, Academiae Regiae Scientiarum Suecicae, nec non Societatis medicae Hafnienſis Membro

OBSERVATIONVM CHIRVRGICARVM

Faſciculus Tertius.

GOTTINGAE,

APVD IOANN. CHRIST. DIETERICH,

1780.



VIRO ILLVSTRI

ATQVE

EXPERIENTISSIMO

IOSEPHO IACOBO PLENCK

CHIRVRGIAE DOCTORI, NEC NON CHIRVRGIAE, ANATOMES, ATQVE ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORI PVBLICO ORDINARIO IN REGIA VNIVERSITATE BVDENSI.

VIRO

DE RE CHIRVRGICA

PRAECLARE MERITO

HAS PAGELLAS

IN PERPETVI CVLTVS

MONVMENTVM

DICAT

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Quod de ſecundo monui, de hoc quoque faſciculo monendum habeo. Scilicet omnes, quas ille continet, commentationes, vel ſeorſim iam editae ſunt, vel in Commentariis Regiae ſcientiarum Gottingenſis Societatis extant. Collegi

illas in hunc fasciculum, vt quicquid boni illis forsan inest, facilioris commodiorisque vsus sit; ceterumque, si adferre aliquid, ad artis Chirurgicae incrementum videntur, egregie laetabor.

TABVLA CAPITVM.

CA-

CA-

CAPVT I.

De Pterygio.

Dum alii ſtudium operamque in eo inprimis collocant, vt nouos obſervent deſcribantque morbos, nouaque inueniant contra illos remedia, ego quidem iam id agam, vt morbum, qui centies iam obſeruatus eſſe dicitur, et iterum iterumque deſcriptus eſt, vel non omnino, vel certe talem non exiſtere probem, qualem deſcribunt. De pterygio loquor, morbo frequenti et cognito, qui Germanis vocatur **das Fell auf dem Auge.** Scilicet ex caruncula lacrymali, omnes fere Auctores, qui de morbis oculorum ſcripſerunt, vel etiam ſubinde ex membranula illa ſemilunari excreſcere referunt quandoque carnem praeternaturalem, quae in mem-

branam ſenſim expanditur, et çorneam, immo totum oculi bulbum obtegit, lucem intercipit, viſuque priuat. Hanc vero pelliculam, ſi tenuis eſt, et cinerei coloris, *pterygium*, ſi vero craſſa eſt, plurimisque vaſis rubris intertexta, *pannum* vocant. Illud bonae indolis eſſe, et praeter caecitatem nullum inferre damnum; hunc contra mali vtplurimum moris eſſe, vehementer ſubinde dolere, immo non raro naturam vere cancroſam induere, et non ſolum viſu, ſed etiam ſubinde vita priuare aegrum, ſtatuunt. Vtraque porro pellicula vel laxius corneae adhaerere, adeo vt eleuari et in rugas contrahi poſſit; vel firmius, vt moueri nullo modo poſſit; vlcuſculo ortum plerumque debere; ſubinde celeriter, ſubinde vero lente increſcere; aliquando totam, aliquando dimidiam tantum corneam obtegere dicitur.

Varia contra hunc morbum varii Auctores commendant remedia; quidam enim medicamentis externis conſumi pelliculam, exſiccari, abradi; quidam cul-

cultro abſcindi iubent; omnes vero raro aliquid praeſtare medicamenta, difficilem vtplurimum, dolorificam, et irritam eſſe operationem, fatentur. Atque ita quidem de hoc morbo Auctores ſentiunt.

Ego vero haec omnia, quae de natura et medela huius morbi in libris extant, cum veritate et experientia non penitus conſentire, arbitror. Ipſe enim ego, qui frequenti quotidie varios oculorum morbos obſeruandi occaſione vtor, hunc morbum, qualem Auctores illum deſcribunt, nunquam vidi; quamuis vt illum viderem, attentum ſemper animum, attentos oculos, aduerti. Varii quoque egregii in arte medica et chirurgica Viri, quos an viderint, interrogaui, nunquam ſe illum vidiſſe, nihilque ſe habere, quod de illo mecum communicare poſſint, iterum iterumque adfirmarunt: et, vt breuis ſim, vbique deſcriptum, nullibi obſeruatum hunc morbum reperi.

Obſeruaui varias cauſſas, quae hunc morbum gignere dicuntur; vlcuſcula

e. g. in variis oculi partibus, abſceſſus et vlcera in ipſa caruncula lacrymali; vidi carnem ſpongioſam et luxuriantem ex his vlcuſculis naſci, et ſaepe ſperaui, fore tandem aliquando, vt hunc morbum adeo deſideratum mihi ſub ipſo ortu forſan obſeruarem; nunquam vero obſeruaui, nunquam vidi ex his vlcuſculis pterygium naſci, vel natam ex illis carnem ſpongioſam in membranam extendi; nullibi niſi in libris morbum reperi.

Nec ſane animo comprehendi poteſt, quomodo fiat, vt caro praeternaturalis ex vlcuſculo nata in veram membranam expandatur; multo minus intelligitur, quo artificio naturae haec pellicula corneae ſanae adeo adglutinetur, vt ne cultro quidem ſine ſumma difficultate ab ea ſeparari poſſit; analogi aliquid in aliis corporis partibus vnquam obſeruari, certe dubito.

Vidi aliquot aegros, qui pterygio laborare dicebantur. Cornea illorum obtegebatur membrana duriuſcula, pallida,

lida, opaca, quae in rugas contrahi poterat, et laxius ad corneam adhaerere videbatur. Nihil autem commercii cum caruncula lacrymali aut membrana ſemilunari huic pelliculae erat; vltra corneam enim non extendebatur, et nihil vitii in albugineae ea parte, quae corneae et carunculae lacrymali interiacet, apparebat. Abſcidi pellem, cum corrugari poſſet, et ſectionem in media Cornea inchoaui. Reperi autem ſub hac pellicula corneam, coniunctiua ſua haud tectam, ſed aſperam, inaequalem penitus, opacam, mollem, carnoſam quaſi, ad quemlibet ictum cultelli copioſe ſanguinem fundentem. Continuata accurate et ſollicite ſectione vltra limites corneae, vidi tandem me ipſam coniunctiuam ſeparare.

His, quae ter obſeruaui, motus, ego quidem arbitror, id quod pterygium vocatur, aut pannus, non eſſe pelliculam praeternaturalem ex caruncula lacrymali aut membrana ſemilunari ortam, ſed ipſam eſſe tunicam oculi coniunctiuam, morbo correptam, coria-

ceam, opacam, lumen intercipientem; morbumque, quem parit, esse singularem quandam speciem leucomatis.

Vitium, quo coniunctiua corneae adficitur, non semper intra limites corneae contineri, sed aliquando ad vicinam coniunctiuam, quae albugineam tegit, et corneam proxime circumdat, extendi, luculenter aliquando apparet. Immo fieri aliquando non omnino dubito, vt tota illa coniunctiua, quae inter corneam et oculi angulum internum est, hoc morbo adficiatur; in quo quidem casu membrana illa prodire ex angulo interno, vel nasci ex caruncula lacrymali videri potest, quamuis morbus plerumque a cornea potius ad angulum oculi internum progrediatur.

Id quod aliis partibus, quando intumescunt praeter naturam, accidit, coniunctiuae corneae, quando morbo corripitur, qui crassam et opacam illam reddit, etiam subinde accidit; vasa scilicet illius in statu sano adeo tenera, vt tenuissimos tantum humores admittant, vi huius

huius morbi adeo aliquando dilatantur, vt ſanguinem admittant. Quodſi eiusmodi vaſa ſanguine turgida pauca in cornea conſpiciantur, nutrimentum pelliculae aduehere creduntur, et *nutrientia vaſa* vocantur, quae diſcindi Auctores iubent, vt nutrimento priuatum pterygium emarceſcat. Facile autem iam intelligitur, ſectionem horum vaſorum id praeſtare non poſſe, et eodem iure haec vaſa *nutrientia* vocari, ac turgida et liuida illa vaſa, quae ſcirrhum circumdant. Plurima eiusmodi vaſa rubra in cornea conſpicua morbo dant nomen panni, nec amplius nutrientia vocantur, quamuis certiſſime eiusdem ſint originis ac dicta illa nutrientia vaſa.

Morbi, quo coniunctiua corneae laborat, corneam ipſam vtplurimum participem eſſe, credere fas eſt; arctus enim inter vtramque partem nexus eſt, et facilis itaque cuiuslibet morbi ex hac in illam tranſitus; et experientia probat: nunquam enim ſanam, ſemper opacam et carnoſam ſub pelle hac corneam inueni, inuenerunt alii. Atque inde qui-

dem patet, falli eos, qui hic tantum opacam illam membranam, qua cornea tegitur, respiciunt, et arbitrantur, ad visum restituendum nil requiri, praeter huius membranae extirpationem. Morbus, qui pterygium vocatur, totam corneam adficit, nec medela illius in eo consistit, vt cornea integumento suo naturali, coniunctiua scilicet, priuetur, sed id requirit, vt corneae, et qua tegitur, coniunctiuae pelluciditas restituatur.

Morbum, qui corneam illiusque coniunctiuam tam grauiter affligit, nexum quoque inter vtramque hanc partem laedere posse, dubitari nequit. Mirum itaque non est, laxius subinde adhaerere corneae coniunctiuam hoc morbo correptam, vt eleuari et in rugas contrahi possit.

Atque haec itaque mea est de natura huius morbi sententia. Id quod pro pellicula praeternaturali vulgo habetur, est ipsa coniunctiua corneae; morbus, qui pterygium vel pannus vocatur, est species leucomatis. Probat hanc senten-

tiam

tiam indoles cauſſarum, quae hunc morbum gignere vtplurimum obſeruantur. Poſt vehementes oculi inflammationes frequenter illum oriri *Maitre Jan* refert. Poſt variolas, aliasque febres acutas ortum illum aliquoties ego vidi. Ex his vero aliisque eiusmodi cauſſis ortum leucomatis facile, membranae vero praeternaturalis ortum difficillime explicari, quis eſt, qui negat? Vlcuſculum, vbi morbum hunc vidi, nunquam reperi. Speciem itaque non ſolum, ſed et cauſſas habet leucomatis morbus, de quo hic loquor. Patebit paullo poſt, eandem quoque illi medelam adhiberi, quae adhibetur leucomati.

Attentus perlegi plurimos recentiorum inprimis auctorum, qui de oculorum morbis agunt, libros, vt cognoſcerem, an certi verique aliquid ex aliorum experientia et obſeruatione conſtet, quod contra hanc ſententiam eſt, et nusquam fere fidam de hoc morbo obſeruationem reperi. Quilibet morbi naturam et medelam deſcribit, qui autem morbum ipſe vidit, qualem deſcribit,

aut ſanauit, ſcio neminem. Nullus eorum fere ex propria experientia loqui, quilibet relata referre videtur.

Quod *Heiſterus* de illo habet ex *Tueſio* et *Maitre Ian* depromtum eſt; propriae obſeruationis nil ille habet. Celeberrimus Ophthalmiater *Ianin* ne verbulo quidem huius morbi mentionem facit. *Heuermann*, *Guerin*, *Gendron* morbum deſcribunt iisdem fere verbis ac alii, obſeruationes autem de illo non habent. Ita etiam *Plattnerus*. Solus *Maitre Ian* ex propria experientia loqui videtur, bis enim operationem huius morbi ſe peregiſſe mediocri cum ſucceſſu ille refert paucis verbis, vt erui veritatis aliquid ex illius obſeruatione nequeat.

Binae memoratu digniſſimae obſeruationes de Pterygio operatione ſanato occurrunt in *Acrelli*, celeberrimi Sueciae Chirurgi, Obſeruationibus chirurgicis. Prior de foemina eſt ex diuturna ophthalmia humida occaecata. Humores, ait ille, copioſe quotidie affluentes ſta-

ſtagnantesque adeo ſenſim dilatauerant vaſa externarum oculi tunicarum, vt illae non ſolum praeter modum craſſae, ſed et induratae et opacae, corneam tanquam velum carnoſum obtegerent. Ad primum adſpectum adnatam bulbi operatione tollendam eſſe, iudicauit Vir Celeberrimus, et operationem ſequenti modo peregit.

Adnatam oculi hamulo prehenſam et eleuatam primo circulari ſectione, quae totam corneam circumdabat, diſſecuit, ita vt partem illam coniunctiuae, quae corneam tegit, ſepararet a coniunctiua ſcleroticae. Quo facto plurimum ſanguinis fudit vulnuſculum, marginesque illius ſponte adeo retrahebantur, vt minimum ad lineam vnam a ſe inuicem diſtarent. Octo diebus praeterlapſis cum ex vulnuſculo caro prodire, ſectamque membranam iterum coniungere videretur, hamulo prehenſa adnata laxius iam adhaeſit, et tota ſenſim ſectione ablata eſt, viſu reſtituto.

Egre-

Egregie ſententiam meam haec obſeruatis confirmat; pterygium enim vocat Vir exper. morbum, quem hac operatione ſanauit; pelliculae praeternaturalis ex angulo oculi interno natae haud meminit; adnatam ipſam oculi morboſam et operatione ſublatam eſſe, expreſſis verbis refert.

Haec de natura morbi: iam de illius medela. Pulueres terreſtres duriuſculos oculo inſpergi plurimi ſuadent. Vitrum candidum in pollinem tenuiſſimum redactum multos pro efficaci remedio habere ſcio. *Maitre Ian* et alii puluerem oſſium ſepiae, chryſtalli ſimiliaque; *Boerhaaue* ſtanni limaturam, alii alia eiusmodi remedia commendant, quibus, qui fidunt, me quidem iudice certiſſime falluntur. Si quid his remediis ſalutaris efficaciae contra hunc morbum ineſt, id certe in acrimonia particularum duriuſcularum, ex quibus conſtant, mechanica, et anguloſa figura, quaerendum eſſe videtur, qua abradere et deterere ſenſim pelliculam praeternaturalem, et corneam, quam tegit, denudare iterum di-

dicuntur. Vt vero abradant, vimque ſuam exerceant, moueri ſine dubio debent et agitari; nil certe praeſtant, ſi inſperſis illis palpebrae clauduntur. Sequitur inde, ſub vſu horum puluerum frequenter oculum agitari, palpebrasque claudi alternis vicibus et aperiri debere.

Fac vero vim ſuam abradendi hos puluiſculos vere exercere, quid quaeſo eſt, quod impediat, quo minus exerceant illam in ſanas aeque ac in morboſas oculi partes, illisque noceant, dum his proſunt? Semper ſane non poſſunt non internam palpebrarum tunicam, exquiſito ſenſu praeditam, ſanamque bulbi oculi coniunctiuam peſſime afficere, irritare, et inflammationem excitare, quae abſtinere ab vſu horum puluerum aegrotum cogunt, et itaque neceſſario confluxum humorum augendo, morbum, qui humoribus copioſe affluentibus, congeſtis, ſtagnantibus ortum debet, augent. Et quid quaeſo tandem iuuat, abradi pelliculam, quae corneam tegit, cum cornea, quae illi ſubeſt, opaca plerumque ſit? Tollendum ſane hic nihil eſt,

eſt, pelluciditas perdita reſtituenda eſt; neque hanc reſtituunt hi puluiſculi, auferent potius penitus, ſi perdita non eſt.

Quicquid a medicamentis externis expectari forſan hic poteſt, id ab illis ſane expectandum tantum eſt, quae vi reſoluente et diſcutiente praedita ſunt; morbus enim ex ſtagnantibus et inſpiſſatis humoribus naſcitur. Talia vero inprimis ſunt borax, Mercurius, ſal Cornu Cerui et alia. Quodlibet autem medicamentum adulto morbo ſanando impar eſſe, et ratio et experientia probat.

Inde ad operationem confugiunt, qua membrana illa, quae corneam tegit, et caecitatem infert, aufertur; atque de hac quidem, quid ſtatuendum ſit, iam diſquiram. Difficillimam illam vtplurimum eſſe, locum non omnino habere, vbi tam firmiter adhaeret, vt corrugari nequeat, pellicula, et tunc quoque, quando laxius adhaerere videtur, ſucceſſu ſaepe carere, omnes fere Auctores vno ore adfirmant. Neque ſane, parum vtplurimum auxilii adferre poſſe

hanc

hanc operationem, difficulter intelliget is, qui meminit, ſuperflui et praeternaturalis, quod tolli debet, nihil hic eſſe; partes quae ſecundum naturam adſunt, pelluciditatem perdidiſſe; non ſolum tegumentum corneae externum, ſed corneam ipſam quoque, plerumque vitio laborare; atque ita de pelluciditate reſtituenda, non omnino de auferenda parte, quae ſecundum naturam adeſt, et cuius ſectio nullius eſſe poteſt vtilitatis, cum cornea, quae ſubeſt, opaca plerumque ſit, cogitandum hic eſſe. Dubitari quoque poteſt, an ſectione tollatur impune naturale corneae tegumentum.

Interim tamen prodeſſe ſubinde, quamuis raro, hanc operationem caute et tempeſtiue peractam, non negauerim, probant quoque *Maitre Ian* et Cel. *Acrel* obſeruationes. Impune ſubinde aufertur, docente *Yues* et *Ianin*, coniunctiua, quae Scleroticam tegit, ingenti inflammatione adfecta; cur non impune quoque auferatur coniunctiua, quae corneam tegit? Fieri quoque ſub-

indè,

inde, quamuis raro, posse, ratio probat, et experientia demonstrat, vt vitii, quo laborat coniunctiua, expers cornea sit, sublataque coniunctiua pateat via lumini in oculum. Satius itaque erit, contra morbum, qui medelam plerumque respuit, anceps experiri remedium, quam nullum; operaeque pretium, peragere operationem, quae prodesse subinde potest, et vbi non prodest, malum quod non tollit, non auget.

Raro autem praeuidere poteris, qualis erit operationis, quam suscipis, successus; iure tamen puto sperari posse, fore, vt aliquid prosit, si luminis et tenebrarum aliquis sensus aegro superest. Facilius sine dubio sectione separabis coniunctiuam, quando in rugas eleuari, difficilius, quando eleuari non potest. Attamen in posteriori quoque casu, vbi firmius adhaerere videtur, abstinere ab operatione nefas esse puto; peracta enim circulari sectione, quae marginem corneae sequitur, vel corneam proxime circumdat, fieri potest, vt nexu inter coniunctiuam corneae et scleroticae soluto,

con-

coniunctiua corneae nutrimento quasi orba emarcescat sensim, corrugetur, secedat, vt post aliquot tempus laxius adhaereat et facile auferatur.

Vbi operationi locus non omnino est, inuri posse credo, non sine aliqua boni successus spe, vlcusculum seu fonticulum ipsi corneae, qui humiditatem diu effundens, euacuat spissos, quibus cornea turget, humores, et visum, nisi integerrimum, qualemcunque restituit. Adfunditur scilicet frustulo lapidis infernalis tantillum aquae, vt liquescat, et madefaciat paruum penicillum, cuius extrema cuspide corneae loco inferiori vlcusculum inuritur, quod diu apertum seruatur, et si siccescit, repetito lapidis infernalis vsu iterum excitatur. Hac quidem operatione leucomate adfectis insigne quandoque leuamen attuli.

CAPVT II.

De Fiſtula lacrymali.

Falſam fuiſſe Veterum de natura et indole fiſtulae lacrymalis opinionem, melius nos iam intelligere et cauſſam huius morbi, et, quam poſcit, medelam, recentiorum plurimi ſibi perſuadent: et, egregie illos falli, perſuaſiſſimum habeo. Cauſſam ſcilicet niſi ſolam, certe frequentiſſimam fiſtulae lacrymalis obſtructionem in ductu naſali eſſe, qua iter lacrymarum ad nares intercipitur; facile inde omnia, quae in hoc morbo apparent, explicari phaenomena; reſpicere itaque, qui mederi huic morbo vult, Chirurgum eo inprimis debere, vt aperiat ductum naſalem, tollatque obſtaculum, quod, quominus ad nares pertingant lacrymae, impedit, omnes fere vno ore adfirmant. Plurima inde recentiores Chirurgi, inprimis vero Galli inuenerunt, varii generis inſtrumenta, nitida certe et elegantia, quibus com-

commode obſtaculum illud in ductu naſali tolli poſſe, ſibi, et ſi poſſunt, aliis perſuadent; quae vero etſi in omnibus fere libris chirurgicis deſcripta et depicta, et in ipſis Actis Academiae Regiae Chirurgorum Pariſinae laudata ſint, luſui potius inſeruiunt, quam vſui chirurgico. Tantum enim abeſt, vt his inſtrumentis facile et commode obſtaculum illud tollatur; vt pauciſſimi ſint, etiam inter dexterrimos Chirurgos, qui legitime illa adhibere poſſint. Fac tandem commodum illorum vſum eſſe, ſalutaris tamen effectus illis obtineri rariſſime poterit; rariſſime enim, me quidem iudice, cauſſa fiſtulae lacrymalis in obſtructione ductus naſalis quaerenda eſt; id quod iam probabo. Rariſſime occurrunt cauſſae, quibus vere vis ineſt occludendi ductum naſalem. Pluribus ineſſe dicitur, quibus certe non ineſt. Frequentis autem morbi cauſſa rara eſſe nequit. Iure e. g. dubitabis mucum craſſum, lacrymas acres aliasque eiusmodi cauſſas, quas hic arguunt, obſtructionem aut coalitum huius ductus parere poſſe. Parere illum poſſe

vulnera, fracturas offium vicinorum, vlcera in cauo narium, cariemque, non negabis, rariſſime autem harum cauſarum vnam vel alteram fiſtulam lacrymalem praecedere, obſeruabis. Frequentem itaque illum morbum fiſtulam lacrymalem ex obſtructione ductus naſalis haud oriri, cum raro occurrant cauſſae eiusmodi obſtructionis, ego quidem perſuaſum habeo.

Facile porro ex ſiniſtro remediorum illorum, quibus ductus naſalis aperitur, effectu intelligere Chirurgi poterant, et haud intellexiſſe plurimos mirum eſt, raro fiſtulam lacrymalem ex obſtructione ductus naſalis oriri. Quilibet enim candidus et probus, qui hunc morbum obſeruauit, fatebitur, et ego ipſe, qui ſaepius illum obſeruaui, fateor, fidam et conſtantem illius ſanationem raro eſſe; plerumque illum, poſtquam ſedulo et dextere via per ductum naſalem aperta eſt, redire; plerosque aegrotos poſt operationem non minus ac ante illam lacrumarum defluxione, et tumore ſacci lacrumalis vexari, et parum

rum, immo nihil operatione peracta obtinuiſſe auxilii. Immo vidi, quibus aliquot tempus poſt dexterrime peractam operationem ſaccus lacrumalis non ſolum intumuit, ſed etiam inflammatione vehementi correptus et pereſus eſt. Intelligi ſane vix poteſt, quomodo fieri poſſit, vt quotidie haec obſeruent Chirurgi, et nihilominus tamen de obſtaculo in ductu naſali tollendo vnice et ſemper adhuc cogitent; vt eodem illi ſemper currant tramite, quo toties a ſcopo aberrarunt.

Habere quidem illi ſibi videntur, quod reſpondeant; recidiuum enim morbum recidiuae cauſſae tribuunt. Putant ſcilicet, facile poſt operationem coaleſcere iterum et occludi ductum naſalem; ideoque inciſo ſacco lacrumali vſum chordarum, ſpecillorum vel ſetaceorum, quibus aperitur ductus naſalis et apertus ſeruatur, tam diu protrahi iubent, donec omnis metus recidiuae obſtructionis abſit. Aſt, quamdiu etiam protrahas, redit tamen plerumque morbus; et redit quidem me iudice, quia

operatione cauſſa illius ſublata non eſt, haud oritur ex noua obſtructione, quae non adeſt, nec adfuit. Aliquoties ſane vſum ſpecilli per octo vel decem hebdomades, bis per dimidium annum continuaui, et nihilominus tamen conglutinato ſacco morbus rediit. Bis operationem iam ſemel perpeſſis ob morbum recidiuum operationem iterum peregi, et obſtructionem in ductu naſali haud inueni, facile enim ſpecillum ad cauum narium peruenit.

Fiſtulam lacrymalem ex obſtructione ductus naſalis raro oriri, inde quoque patet, quod raro morbus idem ſemper maneat, et quocunque tempore aegrum vexet. Plerumque ſcilicet obſeruabis, modo redire morbum modo euaneſcere. Obſeruaui non raro, illum per aliquot menſes penitus obſiluiſſe: vidi, quos non niſi verno vel autumnali tempore vexabat; immo vidi, quibus abiens morbus rediensque ſignum erat ſecundae vel aduerſae valetudinis. Manifeſtum inde eſt, ex obſtructione ductus naſalis in his caſibus morbum natum haud

fuiſ-

fuiſſe; quomodo enim, quaeſo, ex cauſſa, quae conſtans eſt, et eadem ſemper permanet, morbus oriri poteſt, qui modo apparet, modo euaneſcit, modo vehementior eſt, modo mitior?

Saepe ego operationem fiſtulae lacrumalis peragens, inciſo ſacco lacrymali facile ſpecillum per ductum naſalem deſcendere ad nares obſeruaui, raro, vt deſcenderet, vi opus fuit; plerumque ne veſtigium quidem obſtructionis, contra patulam plerumque viam inueni.

Addo, ſi tumido ſacco digitus ita imponitur, vt comprimat ductus lacrymales, et deorſum premat tumorem ſacci, non raro per nares effluere, quicquid ſaccus muci vel lacrymarum continet. Haec itaque, niſi fallor, probant, obſtructionem ductus naſalis raro fiſtulae lacrymalis cauſſam eſſe.

Tres eſſe ſpecies fiſtulae lacrumalis, quarum quaelibet ab altera, et ratione

cauſſae, ex qua oritur, et ratione medelae, quam maxime differt. Prior, rariorque ex obſtructione ductus naſalis, altera frequentiſſima ex metaſtaſi materiae morboſae ad vias lacrymaſes, tertia denique ex atonia ſacci lacrumalis oritur. De ſingulis iam ſeorſim.

Atque primum quidem de illa, quae ex obſtructione ductus naſalis oritur; hunc enim ductum vere aliquando obſtructum eſſe, non nego; rarius autem obſtructum eſſe, quam plerique credunt, contendo. Hanc quidem cauſſam ſubeſſe, perſuaſum habeas, ſi idem ſemper et conſtanter morbus adeſt; ſi, quotiescunque tumidum ſaccum lacrymalem comprimis, nihil eorum, quae continet, ad nares defluit; ſi in primo ſemper ſtadio, quam hydropem ſacci lacrymalis vocant, morbus verſatur, i. e. ſi ſaccus lacrymalis neque dolet, neque rubet, et quicquid ex illo per ductus lacrymales exprimitur, pellucidum eſt et clarum, ſine labe, mucoſum et aquoſum, et tandem, ſi morbum cauſſa

quae-

quaedam praecedit, cui vera vis eſt, ductum naſalem occludendi.

Conſtans cauſſa et permanens eſt obſtructio ductus naſalis; conſtans itaque et idem quouis tempore morbus ſit, neceſſe eſt, qui ex illa oritur. Nihil, quomodocunque ſaccum comprimas, ex illo ad nares defluere poteſt, occluſa enim via eſt, qua defluat. In primo ſtadio morbum verſari, quando prioris ſpeciei eſt, affirmaui: nihil enim hic vitii eſt in viis lacrymalibus, niſi obſtaculum illud, quod ductum naſalem occludit. Vnde itaque hic dolor? Vnde rubor? Nihil ſaccus continet, niſi mucum, quem ſecernit, et lacrymas, quas abſorbet. Nil in his humoribus vitii eſt; regurgitant itaque per ductus lacrymales, quales ſecernuntur, et reſorbentur, clari, pellucidi. Raro tranſit morbus ex hac cauſſa ortus ad ſtadium ſecundum, quo ſaccus lacrymalis frequenter inflammatur, et liquidum, quod continet, puriforme eſt. Subinde quidem ex culpa aegroti parum attenti, et

ſaccum tumidum vel tam raro exprimentis, vt praeter modum diſtendatur et doleat, vel ex alia quauis levi et fortuita cauſſa interna vel externa inflammari ſaccum poſſe, non negam; ideo vero morbus haud in ſecundo ſtadio verſatur, in quo illum non eſſe arbitror, niſi permanens ſit cauſſa, et morbo ipſo propria et peculiaris, quae frequentes excitat inflammationes.

Semper haec morbi ſpecies operationem requirit, quam ſequenti modo ego quidem perago. Spreta inutili inſtrumentorum, quae Galli commendant, farragine, neglectisque iniectionibus illis, quae ope tubuli Anelliani fiunt, quibus vero nulla omnino vis eſt, tollendi in ductu naſali obſtaculum, ſaccum lacrymalem inciſione aperio, ſollicite cauendo, ne poſteriorem illius parietem cultelli cuſpide laedam. Sanum illum plerumque reperi et omnis vitii expertem, ideoque ſollicite cauendum eſſe puto, ne qua illi praeter neceſſitatem inferatur iniuria, quae inflamma-

tio-

tionem et exulcerationem parere poſſit. Inciſum ſaccum linteis carptis molliter impleo, et emplaſtro obtego. Reliquum, quod peragendum adhuc eſt, iam peragi vetat haemorrhagia, et inflammationis ratio habenda, quae ex vulnere imminet.

Hac diſſipata, plerumque autem quarto et quinto die, alteram operationis partem ſequenti ratione perago. Specillum tenue, argenteum, flexile, illud plerumque, quod cl. MEJAN inuenit in ductum naſalem per vulnuſculum inflictum immitto, et in cauum narium propello, quo peruenisſe perſuaſum habeas, ſi vna alteraue guttula ſanguinis ex naribus profluit. Vim plerumque ſatis inſignem, vt ad nares deſcendat, ſpecillum requirit, dumque deſcendit, acerbum plerumque dolorem parit. Hoc facto tenuem chordam immitto, illamque per aliquot dies intactam relinquo. Quarto vel quinto die illam extraho, aliamque, et iam quidem quotidie aliam eiusdem craſſitiei, ſe-

ſecunda hebdomade paullo craſſiorem, tertia iterum craſſiorem, quarta tandem craſſiſſimam, talem ſcilicet, quae craſſitie aequat fere capacitatem ductus naſalis, omni mane immitto chordam. Antequam immitto, quotidie liquorem emollientem, decoctum e. g. hordei cum melle iniicio. Chordam per vulnus immiſſam altero mane per nares extraho. Pars ſcilicet chordae, quae in narium cauo haeret, ſicca, dura, muco ſpiſſo plerumque obſita, dum ſurſum per vulnus extrahitur, dolorem acerbum plerumque parit: melius itaque chorda per nares extrahitur. Vt extrahi poſſit, paullo longius ſemper chordae fruſtulum immittendum eſt ita, vt inſignis illius pars in cauo narium haereat; quae dein ſub fortiori ore clauſo exſpiratione cum ſpiritu ex naribus prorumpit, et facile prehenditur ac extrahitur.

Quatuor vtplurimum hebdomadibus praeterlapſis quouis mane liquorem exſiccantem, aquam e. g. calcis viuae,

aut

aut liquorem vegeto - mineralem Goulardi iniicio, et ſpecillum plumbeum immitto, cuius vſum per duos plerumque menſes, aut potius tam diu continuo, donec nil amplius puris appareat, liquor in ſaccum iniectus libere et copioſe ad nares defluat, et ſpiritus ore naribusque clauſis impetuoſe per ductum naſalem prorumpat.

Sunt quidam, inter quos eminet Cl. WARNER, qui priſtinam lacrymarum per ductum naſalem viam reſtitui, etiamſi ſaccus lacrymalis omnis vitii expers ſit, vetant, et oſſe vnguis perforato nouam lacrymis parari viam iubent. Obſeruarunt ſcilicet, parum plerumque praeſtare remedia illa, quibus ductus naſalis aperitur, et redire plerumque morbum, ob redeuntem, vti putant, ductus naſalis coalitum, ſperantque igitur, fore, vt patula magis per diffractum os vnguis via haud iterum claudatur. Falluntur autem illi; non ſolum enim, vt ſuperius iam monui, morbus haud redit poſt operationem, ſi vere ex ob-

obſtructione natus eſt, ſed vti in hoc caſu, ita et in illo vbi ob cariem os vnguis perforatur, parum auxilii obtineri puto. Non enim me iudice poteſt non operatio, qua ſuperior ſacci lacrymalis pars inſigni perfoditur vulnere, inferior autem penitus deſtruitur, inflammationem et coalitum internorum orificiorum ductuum lacrymalium plerumque parere, et ita quidem vias lacrymales hic aperire, ibi claudere. Docet etiam obſeruatio, plerumque lacrymationem ſequi hanc encheiriſin, quam ego quidem ductibus lacrymalibus clauſis plerumque tribuo.

Ex metaſtaſi morboſae cuiusdam materiae ad vias lacrymales fiſtulam lacrymalem ſubinde oriri ſuperius monui. Fit ſcilicet aliquando vt acris et morboſus humor ex ſanguinis maſſa huc deferatur, ſedem figat, et vitium ſenſim inferat. Sedes illius inprimis in glandulis ſacci lacrymalis eſſe videtur. Cum autem acrimonia illa non vellicare partes adfectas non poſſit, ſaccus lacrymalis ple-

plerumque, modo magis, modo minus doleat, neceſſe eſt: cumque humor ille acris in glandulis ſacci inprimis haerere videatur, non poteſt non mucus, quem illae ſecernunt, morboſus eſſe. Intelligitur inde, cur haec fiſtulae lacrymalis ſpecies nunquam in ſtadio primo, ſemper in ſecundo vel tertio verſetur, vbi ſaccus frequenter inflammatur, et quod continet liquidum, puri ſimillimum ſit. Patet quoque falli illos, qui quamcunque fiſtulam lacrymalem primum ſemper, dum oritur, in ſtadio primo eſſe, et ſenſim alia ſtadia percurrere aiunt.

Conſtans et eadem ſemper non eſt fiſtula; quae ex metaſtaſi oritur, mitius aliquando, aliquando vehementius aegrum adfligit, dolet, plurimumque materiae puri ſimillimae eructat. Subinde vero adeo miteſcit, vt praeter lacrymationem nil fere ſuperſit moleſtiae; immo vidi non raro per aliquod tempus penitus euanuiſſe. Cum ductus naſalis obſtructus hic non ſit, materia, quam con-

continet ſaccus, ope digiti in nares deprimi poteſt; quod tamen nec fit ſine difficultate, nec fit ſemper ob cauſſas dein exponendas.

Varia autem acrimoniae, ad vias lacrymales delatae, natura eſt. Cum animus hic non ſit, fuſius enarrare quaecunque enarrari iure poſſent, breuiter tantum dicam, quae expertus ſum. Varioloſum morbum ſaepiſſime ſequitur fiſtula lacrymalis. Putant puſtulam varioloſam in cauo narium orificio ductus naſalis inſediſſe, illudque cicatrice nata occludiſſe. Falluntur autem, non enim fiſtula lacrymalis niſi poſt morbum varioloſum apparet, et certiſſime ex metaſtaſi materiae varioloſae in corpore relictae eadem penitus ratione oritur, qua oriuntur tuſſes illae pertinaces, ophthalmiae rebelles, vlcera aliaque mala. Difficillima autem huius fiſtulae medela plerumque eſt.

Inter varia illa mala, quae ex cacochymia ſcrophuloſa oriuntur, notari in-

pri-

primis meretur, quamuis a paucis notetur, fiſtula lacrymalis. *Scrophuloſam* illam voco; frequens eſt, et rebellis; aliquoties tamen illam vlceribus artificialibus, cortice peruuiano, mercurio dulci et cicuta ſanaui.

Frequens quoque eſt tertia ſpecies, quam arthriticam voco. Saepius illam obſeruaui, aliquoties ſanaui vlceribus artificialibus, aconito, antimonio, cortice. Facile vero reuertitur, inprimis verno et autumnali tempore.

Venereum venenum vias lacrymales non raro adficit, et fiſtulam lacrymalem parit, mercurio ſanandam. Vidi profluere ex ſacco lacrymali, quoties illum comprimebam, materiam viridem flauam illi ſimillimam, quae ex vrethra gonorrhoea adfecta deſtillat. Duplici vero plerumque haec fiſtula oritur modo, ſcilicet vel poſt ſuppreſſam gonorrhoeam, vel a veneno venereo maſſam ſanguinis inficiente.

Tandem in infante poſt tineam exſiccatam bis vidi fiſtulam oriri lacrymalem, euaneſcentem iterum redeunte poſt aliquod tempus tinea.

Plures huius generis obſeruari poſſe fiſtulas non negem, illarum vero mentionem hic tantum facio, quas obſeruaui.

Atque iam quidem ſi quaeris, qua ratione ex eiusmodi metaſtaſi fiſtula lacrymalis oriri poſſit, libenter me neſcire fateor.

Interim credere me iudice fas eſt, ductum naſalem fibris motricibus inſtructum, motuque periſtaltico praeditum; immo fuerunt, qui ſphinctere ſuperius illius extremum inſtructum eſſe putant. Neque ego penitus negem; certo enim inſigni ſuperiorem ductus naſalis partem vi, ſe contrahendi et occludendi, praeditum eſſe, ſequens, quod centies inſtitui, experimentum docet. Scilicet ſi, aliquot dies poſt operationem chordam vel ſpecillum, quod in ductum naſalem immiſiſti, extrahis, et paullo

poſt

poſt iterum reponis, facile illud reponi, facile ductum naſalem intrare et ad nares deſcendere, ſenties. Si vero extracto ſpecillo liquorem quendam adſtringentem per vulnuſculum in ſaccum lacrymalem iniicis, eoque iniecto ſpecillum reponere vis, reponi nullo modo poſſe, clauſumque penitus eſſe ductum naſalem inuenies. Elapſis aliquot momentis patere iterum ductum, et facile ſpecillum admittere obſeruabis. Hoc vero experimentum certiſſime probat, inſigni vi, ad ſtimuli cuiusdam attactum, ſe conſtringendi praeditum eſſe ductum naſalem.

Facile inde ortum et naturam fiſtulae lacrymalis, quae ex metaſtaſi naſcitur, explicare poteris. Scilicet non irritare non poteſt acris illa ad ſaccum lacrymalem delata materia, irritare etiam neceſſario debet mucus ille morboſus puri ſimillimus, quem glandulae ſacci ſecernunt, ductum naſalem ad fortiorem contractionem, vnde ſpasmo excitato clauditur via, qua ad nares perueniunt lacrymae, et oritur fiſtula lacry-

malis. Et ita quidem me iudice omnium ſaepiſſime oritur fiſtula lacrymalis: ſpaſmo ſcilicet, non materia obſtruente ductus naſalis occluſus eſt.

Facile iam intelligitur, cur nec conſtans ſit, nec eadem ſemper haec fiſtulae lacrymalis ſpecies. Prouti enim modo acrior eſt, modo mitior materia illa ad ſaccum delata, vehementior eſt, vel mitior, quem parit illa, morbus. Intelligitur, cur aliquando euaneſcat penitus, redeatque morbus. Ita penitus aliquando euaneſcunt, redeuntque, ophthalmiae venereae, ſcrophuloſae, arthriticae. Inprimis vero arthritica fiſtula aeſtiuo praecipue tempore penitus euaneſcit, autumnali et verno tempore redit. Intelligitur, cur compreſſo ſacco lacrymali materia contenta non raro ad nares defluit. Cum autem vi opus ſit, quae comprimendo ſaccum vim conſtringentem ductus naſalis ſuperet, haud ſine difficultate defluit; nec, vt ſuperius monui, ſemper defluit, tam violens enim aliquando ſpaſmus eſt, qui occludit ductum naſalem, vt vinci non poſ-

poſſit. Intelligitur tandem abſonum eſſe, inſtrumenta adhibere, quibus ductus naſalis aperitur; neque mirum eſſe, illis adhibitis, morbum redire. Cum autem haec fiſtulae ſpecies, de qua iam loquor, omnium frequentiſſima ſit, patet, raro ad medelam fiſtulae lacrymalis operatione et inſtrumentis opus eſſe. Opus eſſe aliquando, non negam. Fieri enim poteſt, vt neglecta penitus, vel ſiniſtra adhibita morbi curatione exulceretur ſenſim ſaccus lacrymalis, et quod ſubiacet, os vnguis, et tunc incidi ſaccum debere, nemo negabit.

Vltima fiſtulae lacrymalis ſpecies ea eſt, quae ex atonia ſacci lacrymalis oritur. Vi ſe contrahendi praeditum eſſe ſaccum lacrymalem, reſorptasque per ductus lacrymales lacrymas eodem illum modo in nares exprimere, quo exprimit veſica vrinaria vrinam per vrethram; eadem itaque ratione ex atonia ſacci lacrymalis retentionem lacrymarum oriri, qua ex atonia veſicae oritur iſchuria, credere fas eſt. Raro vero haec ſpecies fiſtulae lacrymalis morbus primarius eſt;

plerumque illa ſequitur priores duas ſpecies. Scilicet ſiue oriatur fiſtula lacrymalis ex obſtructione ductus naſalis, ſiue ex metaſtaſi, lacrymarum ad nares iter interceptum ſemper eſt, vnde retentae lacrymae diſtendunt ſaccum lacrymalem et debilitant. Sublata prioris morbi cauſſa, metaſtaſi vel obſtructione, remanet ſacci atonia, cui, quicquid mali iam ſupereſt, iure tribuis. Semper autem haec fiſtulae lacrymalis ſpecies in primo ſtadio verſatur, perpetuo adeſt, clarum eſt et omnis vitii expers liquidum, quod ſaccus continet, et facile illud ad nares deprimitur. Requirit morbus roborantia et vſum inſtrumentorum, quae ſaccum perpetuo comprimunt. Parum autem aliquando, ſi inſignis eſt, et inueterata ſacci atonia, efficitur.

C A-

CAPVT III.

De cancro mammarum.

Atrociſſimum illud morbi genus, Cancer, Medicos non minus, quorum attem eludit, quam aegrotos, quos peſſime adficit, inde a longo iam tempore excruciauit, et adhuc excruciat. Plurimi inter Medicos, probi improbique viri, lucri vel officii cauſſa, quantas poterant, ingenii vires admouerunt, vt inuenirent tandem, quod ſanando diro huic malo par ſit, medicamentum. Inprimis vero ſtudium, inueniendi eiusmodi remedia, recentioris aeui Medicos tenuit; neque infelix fuiſſe videtur. Ingens certe iam extat medicamentorum copia, quorum ab Auctoribus ſuis iactitantur vires contra Cancrum tanquam efficaciſſimae. Atque haud defuerunt, qui, vt magis magisque incenderent ſtudium iſtud, quod generi humano quam maxime proficuum eſſe cenſent, laudibus extulerunt illos Auctores maxi-

mis. Ego vero, omnia, quae hucusque inuenta sunt, eiusmodi remedia, generi humano plus detrimenti, quam salutis attulisse, non possum non contendere.

Quicquid horum medicamentorum nobis hucusque oblatum est, spem nostram excitauit, et fefellit, nullum enim illorum fidum certumque est, nullum id praestitit, quod ab Auctore suo praestare dicitur. Si vero, quod non negem, vnum alterumue illorum vere aliquando profuit, multo frequentius illud quam maxime nocuisse contendo, auertendo animum aegroti Medicique, ab operatione Chirurgica, a qua tempestiue peracta sola vtplurimum salus. Irreparabile plerumque perdit tempus, operationi opportunum, dum his medicamentis vtitur, aegrotus, ad Chirurgiam plerumque confugit, quando medelae non amplius locus est. Ita sane perdit Medicina saepe aegrotos, quos Chirurgia seruare poterat.

Dolendum certe quam maxime est, operationem illam chirurgicam, qua car-

carcinoma exſcinditur, a plerisque tanquam vltimum remedium, non niſi poſtquam omnia alia remedia fruſtra tentata ſunt, corpus aegroti detritum eſt, et morbus eo vsque increuit, vt omnem reſpuat medelam, commendari, et adhiberi, cum primum ſit, de quo cogitari debet remedium. Id certe conſtat, inter omnia remedia, quae contra cancrum hucuſque laudata ſunt, nullum eſſe, quod certius proſit, ſaepiusque profuerit, quam operatio chirurgica. Annon itaque boni prudentisque Medici eſt, in morbo, vbi ſummum in mora periculum, certius praeferre remedium illi, quod dubiae fidei eſt? Annon male proſpicit aegrotorum ſaluti, qui vſum remedii cuiusdam, quod tempeſtiue adhibitum certe plerumque, ſero adminiſtratum raro immo nunquam iuuat, differt quotidie atque procraſtinat? Ego certe, qui aegrotorum animum a tempeſtiua operatione auertit, ſalutem illis ex medicamentorum vſu promittendo, Medicum improbum eſſe puto atque contendo.

Aliud adhuc damnum arti ſalutari intulit ſtudium iſtud recentiorum medicorum inueniendi contra cancrum medicamenta; dum enim in medelam morbi tam ſedulo inquiſiuerunt, parum de illius diagnoſi ſolliciti fuerunt; cognoſcere autem ſine dubio morbum debet Medicus, cui mederi vult. Difficilius eſſe cancrum cognoſcere, quam ſanare ego quidem opinor: nullum enim me iudice ſignum extat conſtans et certum, quod cancrum ab aliis vlceribus diſtinguat, et ſaepiſſime pro carcinomate habetur vlcus, quod cancroſum non eſt. Inde certe lepidae illae fabulae de horrendis cancris feliciter ſanatis, et de egregia medicamentorum quorundam ad ſanandum Cancrum efficacia.

Nil probat acerbus ille dolor, cancri comes moleſtiſſimus frequentiſſimusque: quis enim alia quoque vlcera vehementer non raro dolere, neſcit? Neque virulenta illa acrimonia et intolerabilis effluentis ichoris foetor ſignum cancri eſt, peſſime enim alia quoque vlcera non raro foetent, acerrimamque

ſae-

ſaepe plorant ſaniem; et non omnino foetere aliquando Cancrum, Cel. HILL obſeruauit, egoque aliquoties obſeruaui. Nil quoque certi indicant labia vlceris cancroſi dura calloſa, retorta, non raro enim illa habent alia etiam vlcera, neque ſemper habet cancer; minus adhuc probat fungoſa illa, quae ex cancro plerumque ſurgit, excreſcentia, plurimum enim fungoſae carnis alunt alia quoque vlcera, inprimis illa, quibus os carioſum ſubeſt.

Vlcus aliquod cancroſum eſſe, inde non omnino concludi poteſt, quod in parte glanduloſa ſit, ſaepiſſime enim in partibus, quae glanduloſae non ſunt, peſſimi occurrunt cancri, ſaepiſſime in partibus, quae glanduloſae ſunt, occurrunt vlcera optimae indolis. Neque tandem ex ſcirrho praegreſſo cognoſcitur cancer, non enim ſemper praegreditur ſcirrhus; et in partibus ſcirrho affectis vlcera oriri poſſe, quae cancroſa non ſunt, ſequens, niſi fallor, probabit obſeruatio.

Nil

Nil ſane ſub ortu et progreſſu morbi apparet, quod veram illius indolem cancroſam certo et ſemper declaret. Varia diuerſaque ſunt atrocis huius mali initia, varius illius decurſus. Oritur aliquando ex ſcirrho, aliquando ex verruca, aliquando ex leui papula. Sedem aliquando in tumore cyſtico figit; ſubinde os primum adficit, et ſub ſpecie exoſtoſeos malignae, vel ſpinae ventoſae apparet. Tam diuerſa in progreſſu quoque morbi facies eſt, vt qui illum deſcripſerunt Auctores, vix vnum eundemque morbum deſcripſiſſe ſubinde videantur.

Quidnam quaeſo itaque eſt Cancer? Quomodo Cancer ab aliis vlceribus mali moris dignoſcitur? Ego quidem me neſcire ingenue fateor, neſcire ſe alii quoque viri probi fatentur.

Aſylum certe ignorantiae ſaepiſſime nomen cancri eſt, aeque ac nomen febris malignae, et ſaepe cauſſa malignitatis non in vlcere ſed in Medico haeret. Aliquoties vidi vlcera, quibus vitium

tium cariosum ossis occultum suberat, pro Cancris habita fuisse. Sanaui aliquando Cancrum sic dictum mammae exulceratum vomitorio et repetitis purgantibus; erat scilicet vlcus, cuius rebellis natura ex praecordiis saburra acri inquinatis proficiscebatur.

Interim peritissimos quoque Medicos in diagnosi huius morbi subinde errare, dubitari nequit. Illustris ille Medicus ALEXANDER MONRO ex sexaginta aegrotis, quibus vel ipse Cancros extirpauit, vel ab aliis extirpari vidit, quatuor tantum seruatos fuisse, reliquos omnes post operationem misere periisse, narrat. Cel. autem Angliae Chirurgus HILL ex octoginta octo aegrotis, quibus ipse cancros extirpauit, duos tantum post operationem periisse, reliquos omnes seruatos, et diu saluos superstites fuisse, adfirmat. Iure sane dixeris, de vno eodemque morbo hos viros loqui, dubitari fere posse.

Occasio mihi fuit praeterita aestate graues aliquot mammarum morbos obser-

ſeruandi tractandique, quos paucis iam deſcribam.

Femina, quadraginta circiter annorum, poſt ingentem ex obitu mariti moerorem in parte inferiori mammae dextrae paruum naſci tumorem ſentit, qui, poſtquam ſub vſu variorum medicamentorum ad magnitudinem pugni increuerat, per aliquot annos eodem in ſtatu perſtitit. Tandem vero ſubito tota mamma mirum in modum intumuit, quam ob rem Gottingam aegrota venit, meumque implorauit auxilium.

Obſtupui ad tantae molis adſpectum: tria enim capita virilia mamma magnitudine certe aequabat, et ad vmbilicum vsque fere propendebat. Tota aequaliter tumebat inſtar veſicae aqua quam maxime diſtentae. Humoribus extrauaſatis tota perfuſa, et oedemate quaſi affecta eſſe videbatur, comprimi paullulum poterat, renitebatur tamen, digiti enim comprimentis veſtigium haud remanebat. In latere dextro tumor percipiebatur tactu durus,

pro-

profunde latens, parum prominens. Comprimi ſine dolore mamma poterat. Paruum in ima illius parte vlcuſculum conſpiciebatur, quod ex attritu natum eſſe videbatur, mali moris non erat, et inſignem aquae rubrae, foetoris et acrimoniae penitus expertis, copiam plorabat. Nil vitii in glandulis ſub axilla deprehendebatur: facile ſatis hinc inde moueri ſuper pectorali muſculo mamma poterat, bono corporis habitu frui aegrota videbatur, obeſa enim erat, floridaque facie praedita. Interim tamen quauis nocte febricula illam prehendebat, cum profuſo ſudore, graui pectoris oppreſſione, tuſſicula et moleſtiſſimo in regione ſcapulae dextrae dolore. Euaneſcebant haec incommoda interdiu, tuſſicula autem et reſpirandi difficultas, ingraueſcere inprimis, cum aegrota decumberet, minui videbantur, cum ſederet. Cum inter has moleſtias de nauſeoſo valde et amaro ſapore aegrota conquereretur, lingua ſordibus flauis copioſis obtecta eſſet, et aegrota de graui, quo laborabat, morbo non niſi ancipiti tollendo operatione chirur-

gica,

gica, anxia valde ſollicitaque eſſet, ſaburrae acri in praecordiis latenti febriculam hanc cum aliis ſymptomatibus tribuendam eſſe putaui. Nulla certe alia apparuit cauſſa, cui tribui poterat: vlcuſculum enim illud in inferiori mammae parte, nullius erat momenti, et argui non omnino poterat. Atque eam quidem ob cauſſam per tres fere hebdomades medicamentis reſoluentibus euacuantibusque aegrotam vti iuſſi. Neque illis ſine inſigni emolumento vſa eſt, diſparuit enim febricula et diſpnoea, aliaeque moleſtiae plurimum imminutae ſunt.

Quae cum ita eſſent, et tumor mammae quotidie magis magisque increſcere videretur, cultello iam opus eſſe putaui, illoque annuente aegrota die 12. Iulii vſus ſum. Cum inſignia et valde diſtenta mammam circumdarent vaſa aliquoties inſigni cum vehementia ſanguis prorupit, mox tamen coercitus, vt vix vnciae decem ſanguinis ſub operatione profunderentur. Inciſa cute cum iam mammam a muſculo pectorali digito-

gitorum ope ſepararem, incidit manus in cauitatem quandam inſignem in ipſa mamma conditam, prorumpente ſubito inſigni liquoris rubicundi, ſimilis illi, qui ex vlcuſculo profluxerat, copia, quae facile libras duas pondere aequabat. In alterum eiusmodi cauum manus incidit, cum partem inferiorem mammae a pectore ſepararet. Cum inferior pars mammae paullo firmius pectori adhaereret, cultello opus erat, ſuperiorem digitus facillime ſeparabat. Erat autem in ſuperiori hoc loco ſubſtantia mammae glanduloſa prope muſculum pectoralem, tam tenera, mollis, friabilis, vt digitus ſeparans, ſaepe non inter mammam et pectus, ſed in ipſam mammam profunde ſatis penetraret, vnde factum eſt, vt peracta operatione plurimum ſubſtantiae molliuſculae caſeoſae quaſi muſculo pectorali adhuc adhaereret. Quamuis haec materia facile ſeparari potuiſſet, tam mollis enim erat, vt facile digito contereretur, illam tamen haud ſeparaui; nihil enim ſcirrhoſae duritiei aut cancroſae exulcerationis illi inerat, nec ſine inſigni temporis diſpen-

dio ſeparari poterat, lectulo autem opus habebat aegrota, cum animo linqueretur.

Abſciſſa mamma octo libras pondere aequabat; quod parum eſt, certe enim ſub operatione tertiam ponderis ſui partem amiſerat, effluente inſigni humorum extrauaſatorum, quibus tota perfuſa erat, copia. Nil in ipſa mamma ſcirrhoſi deprehendebatur, ſi tumorem illum in dextro latere excipis, pugni magnitudinem aequantem, qui vlceroſi aliquid haud continebat, ſanisque circumdabatur partibus. Media in mamma prope pectus tamen duo conſpiciebantur caua, quorum vnum facile adhuc pugnum admittebat. Circumdabat haec caua materia illa emollita, macerata, caſeoſa, diſſoluta mixtaque adeo, vt cuiusnam indolis eſſet, dignoſci nulla ratione poſſet. Vicinae his cauis partes adeo emollitae diſſolutaeque erant, vt facile dilacerarentur. Ex inferiori illo cauo ad vlcuſculum externum anguſtiſſima quaedam via procedebat, vnde iam explicari poterat copioſum illud humoris rubicundi ex vlcuſculo profluvium.

vium. Reliqua mammae ſubſtantia ſana erat, textus autem illius celluloſus liquore ſubrubro ſpiſſiuſculo refertus, vt totam mammam oedematoſam fuiſſe iure dixeris.

Bene ſatis aegrota primo poſt operationem die valuit. Vulnus haud doluit, aſt ingentem liquoris ſubrubri copiam exſudauit. Nox tranquilla ſatis et ſine febre fuit. Id monendum eſt, ſtatim poſt operationem brachia aegrotae inſtar glaciei frigidiſſima fuiſſe; neque iterum incaluiſſe.

Secundo die neque febris, neque dolor, neque inflammatio apparuit. Plurimum humiditatis vulnus exſudauit. Nocte ſubſequente ſumma debilitate ingentique pectoris oppreſſione affecta aegrota, proxima morti viſa fuit.

Tertio die mane rediit quidem paullulum ad ſe, interim cum vulnus ſiccum, pallidum foetidum, vires collapſae, pulſus tremulus, paruus, pectorisque anguſtia inſignis eſſent, ſpem

omnem abieci. Hora poſt meridiem ſecunda animam efflauit.

Poſtero die ſequentia in cadauere reperimus. Muſculi thoracis externi emolliti, macerati, immo fere diſſoluti erant. Paruus in media ſterni parte locus carie pereſus erat, Coſtae verae lateris dextri emollitae adeo erant, vt facile frangerentur. Inprimis vero coſtae quartae et quintae, quibus cauitas illa inſignis liquore ſubrubro referta, incubuerat, maxima pars carioſa, muſculique intercoſtales binis in locis pereſi erant. Cauitas thoracis dextra liquore ſubrubro repleta, pulmo dexter totus liuidus maceratus, fere putridus, pars illius, quae coſtis carioſis ſuberat, exeſus et exulceratus erat. Aperto abdominis cauo inſigni cum ſtrepitu flatus erupit peſſime olens, vt qui proxime adſtabat, animo fere linqueretur. Ventriculus inflammatus, et in parte hepatis conuexa locus aliquis exeſus eſſe videbatur.

Quonam haec aegrota morbo periit? Ego quidem neſcio. Cancroſum illum

illum fuiſſe, dubito. Omnia enim cancri ſigna aberant. Vix vnquam doluit mamma, ichor ille ſanguinolentus acris haud eſſe videbatur, per totam enim mammam diffuſus neque dolorem, neque inflammationem, neque exulcerationem peperit, externum illud vlcuſculum bonae indolis erat, et minus eroſioni quam externo attritui tribuendum eſſe videbatur. Immo ne caua quidem illa inſignia eroſa aut exulcerata eſſe videbantur, quicquid enim in illis apparuit, maceratum, emollitum diſſolutum potius erat, quam exeſum et exulceratum. Nil itaque in hoc morbo cancroſi fuit, niſi ſcirrhus iſte, mali, quo periit aegrota, haud particeps. Mirari autem ſatis nequeo, ſcirrhum hunc inſignem in mamma tam graui morbo affecta, quaſi dormiuiſſe, cum ad leuiſſimam irritationem ille plerumque in cancrum horrendum erumpat.

Mirum quoque eſt, malum tam graue adeo latuiſſe, vt ſuſpectum haberi nullo modo potuerit. Inſignis illa, qua laborabat, cum me accederet, aegrota,

noctu tantum illam afficiebat, dyſpnoea, remediorum purgantium vſu valde mitigabatur, quae remanebat, leuis erat, et facile ponderi incumbentis mammae tribui poterat. Neque tuſſicula, neque dolor in ſcapula ſubinde affligens pro ſigno tanti mali haberi poterat. In primis vero miror, tanta pulmones labe laboraſſe ſine tuſſi graui, haemoptyſi, aliisque ſymptomatibus phthiſicis.

Quotquot hucusque vidi ſcirrhos cancrosque mammarum, omnes ex graui diuturnoque moerore, et ingenti animi triſtitia oriri videbantur; vnde mea etiam experientia egregie probat Cel. BIERCHE'N ſententiam, qui, ad affectus animi vehementes pronos, cancri periculum inprimis incurrere, adfirmat.

Virgo XXIV. annorum tumorem durum in mamma ſiniſtra ſponte et ſine cauſſa externa praegreſſa, ſub triſti vitae genere, quo per aliquod tempus vtebatur, naſci et increſcere ſenſim ſenſit. Fruſtra tentata varia remedia ſunt. Anno elapſo in haemoptyſin incidit, facile tamen

men cohibitam, neque redeuntem. Poſt aliquot menſes in dextra quoque mamma ſcirrhus apparuit, prior autem in ſiniſtra mamma dolere incepit, quam ob rem Gottingam venit, conſiliumque a me petiit.

Scirrhus ſiniſtrae mammae magnitudinis pugni, lapideae duritiei, inaequalis, profunde in mamma latebat, mobilis autem erat. Vrentem in illo, quaſi a viuo igne dolorem a dimidio iam anno aegrota perceperat. Continuo dolor ille affligebat, ſubinde tamen mitius, ſubinde vehementius, ingens fuerat in itinere, quod Gottingam aegrota fecerat. Plerumque in tumore tantum ſaeuiit, aliquando tamen ad axillam vsque adſcendit. Nil vitii in glandulis ſub axilla deprehendebatur: cutis, qua tumor obtegebatur, ſana erat. Scirrhus in mamma dextra mobilis erat, et magnitudinis oui columbini. Bene ceterum valebat aegrota, rite menſtruata, et libere reſpirans.

Dubium non erat, cancro occulto hanc aegrotam laborare, eoque pessimo, sponte scilicet ex sola caussa interna nato, et adulto, per dimidium enim iam annum doluerat. Atque illud quoque mali ominis erat, quod priori scirrho iam nato et adulto alter quoque in dextra mamma nasceretur. Sola itaque ab operatione chirurgica salus expectari, haud vero certe promitti poterat. Interim tamen cum habitus corporis aegrotae ceterum integerrimus esse videretur, vterque scirrhus mobilissimus esset, et aegrota operationem non solum haud metueret, sed potius flagitaret, vena secta, purgatisque primis viis cultello vsus sum.

Nil sub operaitone accidit, quod notatu dignum esse videatur. Vterque scirrhus pectorali musculo incumbens profundo exscindebatur vulnere, illoque exsciso nudus conspiciebatur musculus. Parum sanguinis profundebatur; vulnus vtrumque linteaminibus carptis spleniolisque siccis replebatur, obtegebaturque. Secundo post operationem die fluxus men-

menſtruus apparuit. Tertio quartoque die febricula aegrotam adficiebat, quinto die iterum euanida. Sublato hoc die deligationis apparatu, ichor apparuit in vulnere tenuis, viridis, peſſime olens, cui punctula nigra innatabant, aegra quoque de inſigni laſſitudine conqueſta eſt, quam ob rem corticem peruuianum exhibui. Id quoque monendum eſt, ab hoc die aegrotam lactea diaeta vſam fuiſſe, donec penitus ſanata erat. Sexto die bonum pus apparuit, ſingularem tamen vtrumque vulnus odorem ſparſit, talem fere, qualem lignum ſpargere ſolet, quod computruit. Decimo die tumor apparuit peſſimi ominis in margine vulneris mammae ſiniſtrae, magnitudinis nucis auellanae, quaſi ex glandula natus; diſparuit tamen ſenſim et ſponte intra paucos dies.

Die vigeſimo ſecundo pus iterum tenue, acre, foetidumque fuit, nocte ſubſequente fluxus menſtruus apparuit. Die vigeſimo quarto frequens aegrotam concuſſit horripilatio; altero die exanthemata effloreſcebant in mamma vtra-

que et abdomine; pus tenue erat, ſero lactis fere ſimile, et valde acre, vtriusque enim vulneris ambitus excoriatus erat, puſtulisque inflammatis, purulentisque obſeſſus. Exhibui aegrotae ſalis mirabilis Glauberi unciam vnam et dimidiam.

Die primo Februarii diſparuerunt quidem puſtulae illae, puris quoque melior indoles fuit, aſt prope labium dextrum vulneris ſiniſtri tumor apparuit exitium minitans, vrens, pungens profunde rubens. Impoſui emplaſtrum de cicuta, cui pulueris herbae belladonnae admixtum aliquid erat, et fonticulum brachio ſiniſtro inuri iuſſi. Aberat die octauo dolor, et fluidum ineſſe tumori tactu percipiebatur. Inciſione itaque illum aperui. Bonum, quod prodiit pus, ſpem noſtram iterum excitauit. Atque iam quidem nihil amplius illam turbauit, coaluit enim iam vulnus vtrumque intra paucos dies, et aegrota perfectae ſanitati reſtituta eſt. Abeuntem, vt lacte adhuc per aliquot hebdomades vteretur, fonticulumque exſiccari, haud

pa-

pateretur, monui. Sexto post operationem mense, integra illam adhuc sanitate frui, ex literis ad me datis comperi.

Inter pessima certe omina haec aegrota conualuit. Tumor ille vrens et pungens, ne repullulantis mali initium esset, iure metuendum erat. Puris quoque mala indoles, singularis ille, quem vtrumque vulnus spargebat, foetor, et, quae vulnus circumdabant, pustulae illae ichorosae inflammataeque pro malis signis iure haberi poterant.

Scirrhus exscissus cartilagineae erat duritiei, ceterum autem ne vestigium quidem exulcerationis in illo reperiebatur, quod mirum est, cum dolor ille vrens, qui per dimidium iam annum aegrotam afflixerat, rodentis ichoris aliquid in illo latere, indicare videretur. Adeo itaque cancer occultus non semper exulcerationis initium continet.

CAPVT IV.

De raro mammae morbo.

Rarum adhuc mammae morbum describam; certe similem in libris descriptum me reperisse non memini. Femina triginta circiter annorum, animo et corpore valde sensibili praedita, fluxum menstruum profusum pati solita, Gottingam venit, et vt tumorem, quem in mamma dextra habebat, exscinderem, rogauit. Tumor autem ille magnitudinis nucis juglandis mobilis et inaequalis erat. Descendebat ex illo tumore ad papillam series minorum tumorum, quorum quilibet pisum magnitudine aequabat, sursum autem ex illo funiculus ad axillam procedebat, tensus, durus, digiti crassitiem habens, sensim prope axillam euanescens, vt finis illius distingui haud posset. Quoties aegrota hunc tumorem digitis comprimebat et fricabat, prosiliit ex papilla liquoris subrubri aquosi insignis satis copia, quo fa-

facto euanuit ſeries illa minorum tumorum, maior ille mollis flaccidus collapſus duas tertias partes magnitudinis ſuae amiſiſſe deprehendebatur. Ad priſtinam magnitudinem intumuit iterum intra paucas horas. Dolor oriri ſolebat vrens, quoties tumor nimis intumeſcebat, expreſſo liquore, collapſoque tumore euaneſcebat iterum. Quam ob rem quouis mane mulgere quaſi tumorem aegrota ſolebat; continebat ille plerumque vnciam vnam aquae illius ſubrubrae omnis acrimoniae et foetoris expertis. Funiculus autem ad axillam procedens idem ſemper deprehendebatur.

Is autem ſingularis huius tumoris ortus fuerat. Ante plures annos fluxum haemorrhoidalem profuſum paſſam aliquoties ſe eſſe, aegrota meminit: qui quidem cum vires valde exhauriret, medicus quidam medicamentum quoddam propinauit, quo ſumto diſparuit fluxus, neque rediit. Hoc facto poſt aliquod tempus aegrota illam induſii partem, quae mammas tegit, ſanguine tinctam aliquando reperit, neſcia, vndenam ſanguis

guis huc peruenerit. Tandem vero foraminulum illa detegit in cute prope papillam, ex quo liquorem rubrum prodire ſentit. Tandem tumor ille apparuit increſcens ſenſim ad magnitudinem oui gallinacei. Diu autem iam foraminulum iſtud aquam rubram eructauerat, antequam tumor ille apparuit. Elapſis aliquot menſibus ſubito tota intumuit mamma mirum in modum ad axillam vſque. Rediit illa ſenſim ſub interno cicutae vſu ad priſtinam magnitudinem, ſuperſtite autem tumore illo, quem iam deſcripſi, nullo remedio diſcutiendo. Diſparuit ab hoc tempore foraminulum illud, et liquor ex ipſa papilla prodire incepit.

Tumorem illum ſcirrhoſae naturae haud eſſe, in aprico erat: oriebatur ſine dubio ex varicoſa vaſorum quorundam dilatatione, quare aegrotae operationem flagitanti, abnui. Exſciudi forſan tuto potuiſſet tumor ille varicoſus, cum vero funiculus ille ad axillam procedens faſciculus eſſe videretur vaſorum ſimili labe affectorum, qui humo-

morem illum ſubrubrum aduehebant; cumque funiculus iſte ob ſitum profundum dubiamque originem extirpari vix poſſet, metuendum ſine dubio erat, ne poſt operationem vel fiſtula remaneret, vel nouus tumor oriretur. Exhibui itaque aegrotae varia remedia reſoluentia interna externaque, vt quicquid forſan calloſi et indurati dilatata haec vaſa circumdaret, diſſolueretur. Horum remediorum vi factum quoque eſt, vt imminueretur tumor ille, profluuium autem ex illo idem ſemper fuit. Annon ex ſuppreſſis haemorrhoidibus natus eſſe hic morbus videtur? Commendaui ſaltem aegrotae vſum variorum remediorum, quibus fluxus ille reſtitui poteſt, quibus autem, quonam cum effectu illa vſa ſit, hactenus neſcio.

CA-

CAPVT V.

De Cataracta.

Vir quinquaginta annos natus, corpore robusto, obeso, procero praeditus, ad vehementes animi adfectus pronus, bis podagram passus visum vtriusque oculi sponte et sensim perdidit adeo, vt tandem minora obiecta non omnino, maiora non nisi confuse discerneret. Cum pupilla vtriusque oculi nigra, purissimaque esset, amaurosi illum laborare in aprico erat. Innumera ille adhibuit remedia, immo saliuationem passus est, ast frustra. Elapso anno pupilla vtriusque oculi obfuscari incepit, tandemque vera cataracta orta est. Quo facto Gottingam venit, vt cataractam illi extraherem.

Inuitus operationem peregi, duplici enim morbo oculos laborare, amaurosi scilicet et cataracta, credere fas erat. Accedit, quod vterque oculus tam mira sen-

ſenſibilitate affectus, lucisque adeo impatiens eſſet, vt obtectos aegrotus fere ſemper haberet oculos, et lucem paullo viuidiorem non ſine ſummo dolore ferret. Pupilla coarctata valde erat, immo fere clauſa, ſimulatque lumen ad oculos perueniebat. Mirum ſane hoc erat, vterque enim oculus cataracta penitus occaecatus erat. Interim tamen cum mobilis eſſet pupilla, cataracta boni coloris, aegrotusque lucem et tenebras diſtingueret, annui aegroti votis, et operationem peregi. Nil ſub illa accidit, quod memoratu dignum eſt, ſi id excipis, quod cornea vix inciſa cataracta ſponte et impetuoſe proſiliret. Tanta itaque erat oculi ſenſibilitas, vt ſpaſmo violento ſub operatione conſtrictus cataractam exprimeret.

Ingentem quotidie per tres fere hebdomades lacrymarum copiam oculus eructauit; eiusmodi autem profluuium illis plerumque contingere obſeruaui, qui rheumaticis arthriticisque affectionibus obnoxii ſunt. Nihil externe adhibui praeter ſacculos herbis aromaticis re-

pletos, humida enim eiusmodi oculos haud ferre, obseruatio me docuit. Parui momenti fuit inflammatio. Dissipata humiditate visus restitutus est integer, et quod mirum est, pupilla ampla iam apparuit, oculusque viuidissimam lucem haud moleste tulit. Tertius iam annus post operationem praeterlapsus est, et aeger tam egregie oculo suo vtitur, vt ope specilli facile commodeque scribat legatque.

Vndenam singularis illa ante operationem oculi irritabilitas sensibilitasque? Parum abest, quin cataractae illam tribuendam esse putauerim, extracta enim illa euanuit. An acris quaedam materia forsan ad lentem crystallinam desedit, illamque non solum obfuscauit, sed etiam simul irritando oculum sensibiliorem reddidit? Ita fere videtur. Motum iridis a luce retinam afficiente excitari, credere haec obseruatio vetat. Via enim in hoc casu luci ad retinam praeclusa erat, et nihilominus tamen in loco paullulum lucido validissime et cum sensu doloris pupilla constringebatur. Lu-

ce

ce itaque iridem immediate affici et moueri ego quidem credo. Certissimum est, hunc aegrotum initio amaurosi perfecta fere laborasse, cuius vero extracta cataracta ne vestigium quidem apparuit; optime enim post operationem vidit aeger. An materia quaedam morbosa primum ad neruum opticum vel retinam delata, hanc dein reliquit, et ad lentem crystallinam desedit? Ita videtur. Potest itaque amaurosis in cataractam mutari.

Oculum olim iussi non nisi octo post operationem diebus elapsis aperiri, ne lumen et aer illum irritet, inflammet. Experientia iam me docuit, necesse esse, vt quotidie post operationem aperiatur, vt exeat, diductis palpebris, quicquid humiditatis sub illis colligitur, quod conglutinatis palpebris coercetur, oculumque emollit, irritat, inflammat. Tertio scilicet post operationem die palpebras miro modo tumentes, et tanquam saccos aqua repletas distentas reperi: diductis illis riuulus aquae prorupit, quo facto collapsae sunt palpebrae, et do-

lor, qui paullo ante aderat, euanuit. Hoc vero quouis mane per tres hebdomades accidit, quauis enim nocte, palpebrae conglutinabantur.

Cataractam praeterita aestate ex oculo atrophia affecto extraxi. Peregi operationem experimenti caussa, non enim nescio, parum illam plerumque in eiusmodi casu praestare. Oculus tertiam fere magnitudinis suae partem perdiderat, pupilla mouebatur tantillum et, vti in eiusmodi casu plerumque esse solet, minima erat. Facile cataracta extrahebatur, extracta autem illa elapsoque humore aqueo bulbus oculi quam maxime collapsus et in orbita quasi absconditus, pupilla autem penitus clausa erat. Coalito post aliquot dies corneae vulnusculo, regeneratoque humore aqueo, intumuit iterum bulbus oculi, pupillaque dilatata est, ad pristinam, qua ante operationem gaudebat, magnitudinem. Aeger autem, qui pauperculus erat, nisi insignem, aliquam tamen, et tantam quidem operatione obtinuit videndi facultatem, vt solus obambularet, et obiecta maiora bene satis dignosceret.

CA-

CAPVT VI.

De Agarico.

Agaricum, celebre illud BROSSARDI remedium, plurimi recentiorum Chirurgorum laudibus quam maxime extollunt, et pro efficacissimo ad coërcendas ex arteriis discissis haemorrhagias remedio habent. Fuerunt, qui specifica vere vi sanguinem cohibendi praeditum illum esse putarunt, atque hanc quidem vim varia ratione explicarunt. Plerique tamen in spongiosa et porosa illius textura, qua facile absorbet, quicquid humiditatis adfluit, vim illius sanguinem sistentem latere arbitrantur, ideoque, vt mollis sit, et tenerrimus, repetitis malleoli ictibus, illum contundunt, et ad vsum chirurgicum praeparant. Eam vero ob caussam agaricum inprimis summa laude dignum esse putant, quod coercendo efficacissime sanguinem, vulnus, ex quo profluit, male non mulctet; quod de aliis

eiusmodi remediis dici nequit, quae, quo efficacius ſanguinem ſiſtunt, eo peius plerumque vulnus adficiunt, ideoque ſemper, et proſunt et nocent ſimul. Ignea ſua vi, e. g. qua pot nter ſanguinem ſiſtit, non poteſt non ſpiritus vini vulnus irritare, comburere, exſiccare; ligatura, egregium illud contra haemorrhagias remedium, graues plerumque excitat moleſtias, ſummos dolores, vehementes inflammationes. Praeferendus itaque, aiunt illi, his remediis omnibus eſt agaricus, qui, et efficaciſſime ſanguinem ſiſtit, et omni moleſtia et incommodo caret. Atque hoc quidem BROSSARDI remedium, an his laudibus dignum ſit; an tantum commodi et vtilitatis adferat aegrotis, qui illo vtuntur, quantum attulit auctori ſuo, cui non ſolum famam inſignem, ſed et gratiam et liberalitatem Regis ſui conciliauit, paucis iam disquiram.

Vim ſingularem et ſpecificam ſanguinem ſiſtendi agarico haud ineſſe, illum, quicquid praeſtat, eadem virtute praeſtare, qua idem praeſtant omnes alii

alii fungi ſimiliaque remedia, ego quidem arbitror. Par eſſe agarico vi ſanguinem ſiſtente, immo illum fere ſuperare lycoperdon, inter plures inprimis Cel. BISETT (medical Obſervations pag. 303) obſeruauit: immo idem fere praeſtare, quod agaricus praeſtat, communem illam ſpongiam, qua ad detergendas ſordes vtimur, Cel. MVZEL (*Wahrnehmungen B. I.* p. 31.) adfirmat; et facile quotidie, quisquis velit, experimento edoceri poteſt, idem illud certiſſime obtineri linteis carptis ſiccis tenerioribus, quod obtinetur agarico. Nil ſane, teſte fida obſeruatione, praeſtat agaricus, quod non praeſtant omnes aliae quaecunque ſubſtantiae fungoſae, poroſae, molliores. Quid itaque quaeſo ſpecificae virtutis illi ineſt, qua omnia alia eiusmodi remedia ſuperare dicitur?

Non ſolum alia huius generis remedia agaricum haud ſuperare, ſed vim quoque ſanguinem ſiſtendi illi ineſſe omnino nullam, ego quidem arbitror. Nil penitus agaricum valere compertum eſt, niſi apparatu deligationis valde con-

ſtricto apprimatur vehementer loco, qui ſanguinem eructat. Tali vero apparatu ſi ſanguis coërcetur, an id agarico tribues? an compreſſioni? Certe huic tribuendum eſt, quicquid obtinetur et efficitur; nil agarico. Nil valet agaricus ſine compreſſione; compreſſio autem, quae fit ſine agarico, aeque potenter ſanguinem prorumpentem arcet, quam quae fit cum agarico. Siue imponas orificio arteriae diſciſſae agaricum, ſiue lintea carpta, ſiue nudum digitum, ſiue fruſtulum chartae bibulae madidae in globulum compreſſum, ſiue conum ex linteaminibus complicatis, ſiue vti, veteres ſolebant, dimidium fabae, ſiue monetam, ſemper certiſſime haemorrhagiam ſiſtis, quocunque apparatu veteris, modo conſtringas illum, vt comprimas arteriam. Si qui itaque ſunt, qui agarico vim ſanguinem ſiſtendi ineſſe contendunt, iure meritoque eandem vim quoque nudo digito, linteolo cuicunque, fabae etc. ineſſe dixeris.

Probaui, niſi fallor, agaricum vi ſanguinem ſiſtendi praeditum eſſe nulla,

iners itaque esse remedium et inefficax; iamque probabo, vsum illius esse molestissimum et valde noxium. Nil agaricum valere sine compressione, iam monui, tot autem difficultates tantaque compressionem plerumque comitantur incommoda, vt mirer esse, etiam inter celeberrimos Chirurgos, qui adeo amant chirurgicum hoc adminiculum, vt praeferant ligaturae, longe tutiori commodiorique remedio. Quae vero contra compressionem, quae pro ligatura monenda habeo, sequentia sunt.

Locum non habet compressio, nisi vbi os vicinum est; vix enim comprimi potest arteria, partibus mollibus circumdata, quae, dum cedunt, vim et effectum compressionis eludunt. Iniici potest ligatura, vbicunque aditus patet manui, acuique; et vbi satis haud patet, facile plerumque id effici potest, vt pateat. Frequentioris itaque vsus est ligatura quam compressio.

Nec sufficit, os adesse, cui innitatur apparatus, qui comprimit arteriam;

ſed requiritur etiam, vt firmum illud ſit, et ſtabile, neque diffractum, neque luxatum, neque etiam carioſum. Raro eam ob cauſſam frequens illud vulnerum genus, quod ſclopetis infligitur, vbi haemorrhagia vrget, hoc auxilium admittit, raro enim ſine laeſione oſſis eſt. Sique fracturam ſimplicem bene plerumque ferre apparatum, quo arteria lacerata comprimitur, contendis, complicatam tamen quamcunque male plerumque illum ferre non negabis.

Fac vero, plurimos ſupereſſe caſus, vbi commode tutoque apparatus ille applicari poteſt, conſtans tamen et fidum non eſt, quod adfert, auxilium. Tantus ex lacerata arteria maiori, qualis illa eſt, quae femur permeat, ſanguinis torrens prorumpit, vt inſigni vi opus ſit, quae reſiſtat. Eiusmodi autem vis, cui fidas, non eſt, niſi in ligatura. In quacunque certe ex vulnerata arteria crurali haemorrhagia, ego ſaltem ſoli ligaturae, nunquam compreſſioni fiderem. Neque illi penitus fiderem in aliis quibuscunque caſibus; redit enim facile haemor-

morrhagia, quae compreſſione fugatur. Scilicet facile motu membri vulnerati, voluntario vel inuoluntario, dimouetur ab orificio arteriae laceratae conus ille comprimens, neque vnquam ſine periculo redeuntis haemorrhagiae dimouetur. Haud redit, quam ſemel compeſcuit, ligatura dextre iniecta, haemorrhagia. Illos itaque Chirurgos, qui belli tempore militum vulneratorum curam habent, remedio vti ratio vetat, quod malum ſopit, non auffert. Eiusmodi enim vulnerati, dum, vti plerumque fit, ex vno loco in alterum iterum iterumque, neque ſine inſigni agitatione transuehuntur, in perpetuo recrudeſcentis haemorrhagiae periculo verſantur, et facile, ſi recrudeſcit illa, vbi non adeſt promtiſſimum auxilium, vitam cum ſanguine perdunt. Neque alii qualescunque vulnerati, quibus arteria diſciſſa comprimitur, extra periculum ſunt. Facile enim noctu, ſub motu dormientis aegroti, vel agitatione conuulſiua, qua membrum vulneratum non raro adficitur, dimouetur apparatus, qui comprimit arteriam, et redeunte haemorrhagia

rhagia dormiens aeger perit. Cauere quidem hoc periculum poteris, ſi curas, vt adſit perpetuo, qui attendit, quicquid ſiniſtri accidere poteſt, ſedulo aduertit, et auxilium, vbi opus eſt, ſtatim adfert; carent vero auxiliatrice eiusmodi manu aegroti pauperes. Fieri tandem poteſt, vt tumida iam, quo tempore primo deligationis apparatu circumdatur, pars vulnerata, ſubito enim aliquando extrauaſatorum inprimis humorum copia intumeſcit, dilabentibus ſenſim his humoribus detumeſcat, et relaxetur apparatus cum periculo redeuntis haemorrhagiae. Nusquam igitur hic tuta fides.

Molliter tractandum vulnus quodcunque, leui deligationis apparatu obtegendum, ſedulo, quicquid moleſtum eſt, auertendum eſſe, omnes rerum chirurgicarum periti contendunt. Et iure quidem contendunt; non poteſt enim non faſciarum apparatus copioſus et valde conſtrictus ſufflaminare liberum humorum per membrum vulneratum motum, impedire quo minus, quicquid hic ſtagnat et effuſum eſt, vul-

nus

nus exſudet, augere ſtaſin et accumulationem humorum, omniaque pericula, quae metuenda ſunt. Inprimis vero diros cruciatus, conuulſionum, gangraenae, vitaeque periculum parit, ſi, quod arcte circumdat eiusmodi apparatus, membrum inflammatum eſt, aut ſpiculis oſſeis acutis, aut aliis quibuscunque corporibus peregrinis refertum. En grauia mala, quae comitantur non raro vſum agarici, qui, vt ſanguinem ſiſtat, ſemper conſtrictum requirit deligationis apparatum. Falli itaque illos iam intelligitur, qui vſum agarici vulneri moleſtum non eſſe arbitrantur.

Primum, quod in quocunque vulnerum genere peragendum occurrit, id eſt, vt haemorrhagia, ſi qua adeſt, ſiſtatur. Hoc facto plurimum non raro peragendum Chirurgo adhuc eſt, vulnus explorandum, ſubinde dilatandum, peregrina corpora quaerenda, extrahenda etc. Commode autem et dextere peragere haec omnia Chirurgus nequit, ſi haemorrhagiam agarico coërcuit, et deligationem adhibuit, quae vulnus obtegit,

tegit, viſum intercipit, et manui aditum occludit. Atque hoc quidem etiam incommodo caret ligatura, qua iniecta vulnus patet, vt facile peragat Chirurgus, quod peragendum eſt.

Addo tandem deligationem illam, qua comprimitur arteria diſciſſa, dexterrimam requirere manum; cum parum exercitata facile ligaturam iniiciat.

Haec, quae monui, tanti momenti eſſe videntur, vt mirum ſit, eſſe, qui compreſſionem arteriae longe praeferant illius ligaturae. Non nego varia ſubinde eaque grauia ligaturam comitari incommoda, illa autem haud ligaturae, ſed ſiniſtrae illam iniiciendi methodo tribuenda eſſe, puto.

Sunt ſcilicet, et quidem haud pauci, qui filo, quo ligant arteriam, vicinae carnis non parum comprehendunt. Intelligi vix poteſt, cur carnem ligant; vt enim haemorrhagia ſiſtatur, ligatura ſolius arteriae tantum requiritur. Opus itaque non eſt, carnem ligare; eſt etiam

iam noxium. Filo conſtringi caro acuto ſenſu praedita nequit ſine inſigni dolore, inflammatione, febre, aliisque grauiſſimis ſymptomatibus, quae non ſolum vulnus, ſed totum corpus peſſime adficiunt. Quicquid hic periculi imminet, auget ingentem in modum eiusmodi ligatura, tumultum excitat inflammatorium vehementiſſimum, qui pediſſequam plerumque habet ſuppurationem profuſiſſimam, quae carnem conſumit, os denudat, febrem hecticam accendit, aegrotum emaciat, peſſumdat. Parum ſane abeſt, quin moleſtam illam, poſt amputationem femoris inprimis frequenter obuiam, oſſis denudationem ſiniſtrae huic arteriam ligandi methodo, partim ſaltem tribuam. Neque fidere huic ligaturae poteris; caro enim, quam comprehendit, cedit ſenſim filo circumiecto, quo relaxato nouum oritur ſanguinis profluuium. Fit quoque aliquando, vt, ſi nimium carnis, vel tendinoſi aliquid comprehendit ligatura, tempeſtiue illa haud ſecedat, et abſcindi debeat, quod nec fit ſine moleſtia, nec ſine periculo.

Ex-

Exhorruerunt ad horum malorum adſpectum Chirurgi, atque ligaturam tanquam perniciosiſſimam penitus damnarunt, agaricum extollentes. Facile vero intelligis, omnia haec mala non ligatae arteriae, quae ſenſu caret, ſed ligatae carni vicinae exquiſito ſenſu praeditae deberi: cum autem hanc ligari opus non omnino ſit, non ligaturam, ſed Chirurgos, qui male illam iniiciunt, damnabis.

Soli itaque arteriae ligatura iniicienda eſt; et eiusmodi quidem ligatura, nil doloris, immo ne moleſtum quidem excitat ſenſum, cum arteria haud ſentiat; certo ſemper claudit arteriam, nec redit, quod ſemel coërcuit, ſanguinis profluuium, quod dextere adhibita, relaxari nullo modo poſſit: adde, tempeſtiue illam plerumque ſponte ſeparari. Hanc itaque ligaturam omnibus aliis remediis, quae ſanguinem ex maioribus arteriis prorumpentem cohibent, et inprimis agarico, ego quidem praefero.

Vt ſola ligari poſſit, protrahi debet arteria, quod quidem vtplurimum ope forcipis fit, quam Galli *valet à* PATIN vocant. Iure hanc forcipem Cel. THEDEN damnat, ſummos enim dolores, immo conuulſiones illius vſum peperiſſe, obſeruauit. Neque mirum; non enim poteſt non prehendere plerumque ſimul neruum comitem, carnemque vicinam, quae prehendi, comprimi, protrahi ſine dolore nequit. Praeferendus itaque forcipi eſt hamulus ille acutus, quem Cel. BROMFIELD inuenit, qui arteriam ſolam protrahit, et nihil omnino incommodi parit. Ceterum, vt facile protrahatur arteria, flecti paullulum membrum debet, dum protrahitur.

Neque hanc quidem ligaturam omnis vitii expertem eſſe, ſunt, qui putant. Facile ſcilicet fieri poſſe metuunt, vt filum, quod nudam circumdat arteriam, diſcindat illam, vel vi ſanguinis irruentis propellatur. Sed quomodo quaeſo propelli poteſt, cum acus ope per ipſam arteriam filum traiiciatur? Nec

facile perſcinditur maior arteria craſſis firmisque tunicis praedita, nec facile perſcindit filum latum, quo in hoc caſu ſemper vtimur. Addo, facile plerumque ſiſti haemorrhagiam, ſi modice conſtringitur filum, arteriae autem diſciſſionem metuendam non eſſe, ſi vnquam metuenda illa vere eſt, niſi praetermodum filum conſtringatur.

CAPVT VII.

De Fracturis Cranii.

Legem recentiores quidam Chirurgi, inter quos celebris Anglus POTT eminet, condiderunt, quae praecipit, quascunque cranii fracturas trepano perforare. Fractura quidem nihil in se habet periculi, et trepanum haud requirit; requirunt autem illud aliae laesiones, quae plerumque comitantur fracturam, extravasatio scilicet, membranarumque cerebri et cerebri ipsius inflammatio et suppuratio. Scilicet non potest non vis illa, quae cranium diffringit, partes illi subiacentes pessime adficere, commouere, contundere, comprimere, lacerare; vt itaque vix occurrat fractura cranii sine partium subiacentium varia laesione, quae trepanum requirit. Quamprimum vero et antequam symptomata apparent, quae latens sub fractura vitium produnt, trepano vti illi iubent, cum sero vtplurimum, et non

nisi, quando medelae vix amplius locus est, haec symptomata appareant. Totam in eiusmodi casu fracturam Cel. POTT denudat incisione circulari, qua integumenta externa, quae illam tegunt, auferuntur, vt pateat vbiuis via Trepano, quocunque demum in loco adhibendum illud esse videatur. Occurrere quidem fracturas, quae sine laesione partium subiacentium sunt, et fieri itaque non negat Cel. POTT, vt praeceps haec operatio peragatur subinde, vbi opus illa non erat; monet tamen ille, summum hic in mora periculum esse; medelam locum hic non habere, nisi promtissimam; inter decem fracturas vix tres occurrere, quae sunt sine laesione partium subiacentium, et ideo trepanum non requirunt; nunquam statim sub initio apparere, an adsit eiusmodi laesio nec ne; et hanc operationem nihil omnino periculi adferre; Chirurgum itaque, qui quascunque trepano perforat cranii fracturas, ex decem aegrotis septem morti certissimae eripere, tribus autem remedium administrare, quo opus non habent, quod vero nihil omni-

nino periculi adfert. Inde vero concludit, quascunque cranii fracturas trepano proforandas esse: cui quidem sententiae, quamuis sit summi in arte viri, ego non accedo, sequentibus permotus rationibus.

Periculo non caret trepanatio, inprimis quando peragitur in nosocomiis putridis exhalationibus refertis, vt itaque boni prudentisque Chirurgi sit, trepano non vti, nisi quando vere illo opus est. Nunquam certe cerebrum integumentis suis orbatum aeris attactum impune fert.

Id quod in eiusmodi casu trepanum requirit, non est, vt supra iam monui, fractura ipsa, sed vitium, quod latet sub fractura, extravasatio scilicet, et inflammatio. Quod ad extrauasationem pertinet, illa certe trepanum non omnino requirit, antequam orta est: tempestiue sane adhuc peragitur operatio, quando sanguinem effusum esse, ex signis apparet. Nihil hic in mora periculi est. Parat in eiusmodi casu trepanum

viam ſanguini, qui ſub cranio effuſus cerebrum premit. Cur quaeſo viam hanc pares, quando ſanguis effuſus nondum eſt, et quando, an effundetur, nondum conſtat? Inde vero ob extrauaſationem praecipiti operatione opus hic non eſſe, perforari cranium non debere, niſi poſtquam ſanguinem effuſum eſſe certe conſtat, et tunc quidem tempeſtiue perforari, ego quidem contendo.

Alterum vitium, quod inprimis promtiſſimum auxilium poſtulare Cel. POTT videtur, eſt inflammatio membranarum cerebri, et cerebri ipſius, frequentiſſimus fracturarum comes. Illam vero nunquam omnino trepanum requirere ego quidem arbitror. Et primo quidem, quid ad avertendum imminens inflammationis periculum adferre poſſit vſus trepani, ego non omnino intelligo, perſuaſiſſimumque habeo, accerſere potius hoc periculum, augere, accelerare operationem, a qua non abeſt irritatio, quae viam parat aeri ad cerebrum illiusque meninges, et has plerumque violenter ab ea cranii parte

ſe-

ſeparat, quam corona trepani exſcindit. Intelligitur itaque, obeſſe potius quam prodeſſe trepanum, quando imminet inflammatio.

Neque ortae iam inflammationi vllo modo mederi poteſt trepanum, auget potius illam easdem ob cauſſas, ob quas imminentem accerſit, accelerat. Scilicet inflammatio illa cerebri et meningum, quae fracturas cranii comitatur, et de qua ſola mihi hic ſermo eſt, (non enim de ea hic loquor, quam corpora peregrina aut feſtucae oſſeae excitant, et quae trepani vſum ſine dubio poſtulat,) ſoli commotioni et contuſioni harum partium a vi externa excitatae, et natae inde vaſorum atoniae et humorum in illis accumulationi tribuenda eſſe videtur. Tonum itaque horum vaſorum quam primum reſtituere, humores accumulatos diſcutere debet Chirurgus, vt inflammationem imminentem auertat. Quae huic indicationi alias egregie inſeruiunt, remedia adſtringentia, ſpirituoſa, aromatica, parum hic praeſtant, cum vis illorum haud pertin-

gat ad cerebrum cranio obtectum. Inde laudari ſatis nequit, Cel. SCHMVCKER, qui vnicum fere remedium, quod in eiusmodi caſu ad locum adfectum certe penetrat, et vi, qua praeditum eſt, adſtringente, egregie vaſa roborat, ſtagnantes humores diſpellit, et inflammationem imminentem auertit, experientia edoctus primus commendauit, aquam ſcilicet frigidam. Hac itaque quam primum vti in quacunque cranii fractura, tanquam certiſſimo contra inflammationem, quae ad quamcunque fracturam facillime accedit, remedio, lex eſto. Quid cutem conferre poſſit ad auertendam vel ſanandam hanc inflammationem trepanatio, ego quidem non intelligo, et quis quaeſo eſt, qui intelligit?

Alio modo ortum huius inflammationis Cel. POTT explicat, illamque inprimis ſublato, quod inter cranium, duram matrem et pericranium eſt, commercio vaſorum tribuit. Scilicet tam arcto dura mater, cranium et pericranium iuncta ſunt vaſorum nexu, quae hu-

humores ex vna harum partium ad alteram perpetuo vehunt reuehuntque, vt iudice celeberrimo viro vix turbari possit circulatio humorum in hac parte, quin turbetur quoque in illa; vix oriatur in hac parte vitium, quod non redundet in illam. Commotis itaque, contusis, disruptis vasis, quae in diploe cranii sunt, non potest non secedere a cranio, cui adhaeret, dura mater, inflammari, putrescere: nec potest auelli vi illa externa, quae cranium concutit, dura mater a cranio, quin inflammetur, putrescat. Immo, quae pericranio inferuntur laesiones, non raro noxam ad cranium et duram matrem spargere Cel. POTT contendit.

Fac esse huius originis inflammationem illam funestam, de qua hic loquor, quid quaeso ad auertendam sanandamque illam valet trepanatio? Sed non est, me iudice huius originis, nisi rarissime. Quod si enim esset, quamlibet trepanationem, quamlibet extrauasationem inter cranium et duram matrem factam funestam hanc inflammationem sequi,

necesse esset; in vtroque enim casu separatur a cranio dura mater, commerciumque vasorum inter has partes tollitur, non autem sequi illam obseruatio quotidiana docet. Quoties externa cranii tabula et ipsa diploe carie exeditur, dura matre, quae subest, omnis vitii experte! Ex sede quoque huius inflammationis, et quae illam sequitur, suppurationis, concludi potest, contusioni diploes cranii et separationi durae matris a cranio hanc inflammationem non deberi. Scilicet si deberetur, duram matrem tantum, eamque illius inprimis partem, quae illi cranii loco, quem vis externa percussit, subiacet, vel quae a cranio auulsa est, adfectam, inflammatam, pure exesam esse, necesse esset; interim tamen plurimorum Auctorum, praecipue vero Cel. SCHMVCKER et DEASE obseruationes probant, raro hic vitium praecipuum reperiri, plerumque piam matrem, arachnoideam, et ipsam substantiae corticalis cerebri externam superficiem pessime adfectam pureque obtectam et peresam, neque tantummodo eo sub loco inueniri, quem

vis

vis externa percuſſit, pus plerumque late diffuſum eſſe, immo ſubinde totum hoc vel illud obtegere cerebri haemiſphaerium: quod quidem certiſſime non quadrat ad ſententiam Cel. POTT de ortu huius inflammationis et ſuppurationis. Nec facile haec ſententia rationem reddit ſummi illius periculi, quod hanc inflammationem vtplurimum comitatur. Vnde quaeſo tantum periculi ab inflammata dura matre, turbatoque humorum, per cranium et duram matrem, in paruo illo loco quem vis externa percuſſit, humorum circuitu, cum toties hae partes impune diſſecentur, diffringantur, dilacerentur? Facile explicat, qui non neſcit, vi externa illata, cranii non ſolum locum illum, quem vis percuſſit, ſed totum ambitum deſidere ad cerebrum, vique ceſſante, reſilire, dum autem deſidet, peſſime contundere, comprimere, commouere piam matrem ipſamque corticalem cerebri ſubſtantiam, vaſa harum partium tono ſuo priuare, humorum per illas circuitum turbare, ſufflami-

na-

nare, et ita inflammationem ciere, de qua locuti hucusque sumus.

Atque huic itaque contusioni inflammationem hanc funestam tribuo. Interim monendum est, non raro aliam accedere caussam, plurimis sane incognitam, quae maximi momenti est, et summam Chirurgi attentionem meretur. Atque haec quidem in praecordiis latet; et tam egregie a Celeberrimo STOLLE obseruata et enucleata est, vt non possim, quin ipsis eximii huius Viri verbis illam exponam.

"Vti persaepe, ait ille, *) hypochondria affecta multaque bile turgida caput adficiunt, ita nonnunquam caput vulnere affectum aut contusum efficit; vt bilis copiosior in ventriculum effundatur, quae dein ob sympathiam encephali cum systemate gastrico affectum capitis alit. Complura exempla habeo febrium biliosarum malignae naturae

*) vid. Ration. medendi P. I. p. 39. et P. II. p. 424.

turae lapſum ab alto conſecutarum. Scio in eiusmodi caſu caput trepano fuiſſe perforatum, cum aeger a lapſu grauiter febriret cum mentis emotione. Nihil alieni repertum eſt in cranio, aeger paucos poſt dies delirus obiit. Cranio reſerato nihil prorſus vitiati occurrebat, aſt magna viſcerum abdominalium ruina, hepatis ſuffuſio biliosa, inteſtinorum liuor atque necroſis. Adeo ſubinde difficilis atque ambigua diagnoſis eſt, an in lapſu ab alto encephalon idiopathice, et quonam vitio laboret, an vero commotum ſyſtema gaſtricum biliferumque mentem ob quendam vtriusque conſenſum turbet."

Conſentit Cel. LENTIN, qui, in omnibus, ait, *) capitis laeſionibus obſeruo, vt quantocyus inteſtina purgentur, dum adhuc vis vitae illis ineſt. Perit ſenſim illorum irritabilitas, et colliguntur ſordes, et perit ſaepe ex his ſordibus aeger, qui vulnere capitis perire videtur.

At-

*) De aere et morb. Clauſthal. p. 143.

Atque haec quidem de inflammatione, cui mederi nullo modo trepanum posse, iam constat, cuique auertendae vel abigendae post venaesectiones legitime institutas aquae frigidae, vomitoriorum purgantiumque vsum egregie inseruire iam probani.

Pauca adhuc de suppuratione. Fac itaque pus ex hac inflammatione natum esse, annon tunc conuenit trepanum, viam parans puri cerebro molesto, et certissimum tandem exitium adducenti? Conuenire omnino videtur, interim tamen parum illud hic vt plurimum prodesse non dubitabit, qui egregias SCHMVCKERI obseruationes vel fugitiuo oculo perlegit, cum raro in eiusmodi casu pus in abscessum colligatur, sed semper longe lateque inter meninges et cerebrum diffusum inueniatur, vt itaque euacuari ope trepani nullo modo possit, certaque semper mors instet, notante DEASE, simulatque ex hac inflammatione pus oritur.

Nunquam itaque me iudice cranii fractura trepano perforari debet, nisi quan-

quando pus, vel ſanguinem effuſum ſub illa latere conſtat. Haec de vſu et abuſu trepanationis; pauca iam, quae modum illam peragendi ſpectant, contra Cel. POTT, monenda habeo. Scilicet iubet ille, illam integumentorum partem, quae fracturam tegit, inciſione circulari auferri, vt tota appareat fracturae longitudo et figura, et quid in quocunque fracturae loco vitii oritur vel adeſt, vel auxilii requiritur, facile Chirurgus conſpiciat. Iure quidem id contra cruciales inciſiones moneri poteſt, quod labia vulneris pendula impediant Chirurgum, quominus omnia rite perquirat et perſpiciat, ſaepeque adeo intumeſcant, vt aliquoties praeſcindi opus ſit; cum circularis inciſio, quae partem integumentorum aufert, id incommodi non habeat. Interim cum quo tempore Chirurgus incidit integumenta, ſaepe nondum pateat vulneris natura, nondumque conſtet, an trepano opus ſit nec ne, fieri ſaepiſſime poteſt, vt inciſis integumentis, magni momenti laeſionem non eſſe, et operationem haud requiri, appareat, vbi, ſi cruciatim integumenta

ſe-

ſecuiſti, facile obtegere cranium, coniungere labia, vulnusque conglutinare poteris; cum contra ſi partem integumentorum inciſione abſtuliſti, diu iam pateat vulnus, os exſiccetur, et lenta denique facta exfoliatione carne obducatur. Inde ego quidem arbitror circularem inciſionem non conuenire, niſi vbi iam patet natura vulneris, et neceſſitas operationis apparet. Neque tunc quidem tota ſtatim fractura denudanda eſt, ſufficit illum locum incidi, quem vis externa contudit, iure enim ſub hoc loco vitium latere, credes, iure itaque hunc locum primum perforabis. Quodſi perforato cranio hic non latere intelligis, facile alius locus incidi et perforari poteſt.

CAPVT VIII.

De legitimo remediorum Antiphlogisticorum externorum vsu.

Quaenam externe parti inflammatae conueniant remedia, disputatum est; alii emollientia, alii adstringentia adhibenda esse arbitrantur. Qui adstringentia adhibent, sanguinem in partem inflammatam copiosius et impetuose irruere, et vasa distendere, adeoque praecipuum, quod ferri hic potest, auxilium, a remediis expectandum esse putant, quae vi adstringente praedita discutiunt copiam humorum praeter naturam accumulatorum, vimque irruentis sanguinis repellunt. Illos itaque pessime agere illi contendunt, qui emollientia adhibent remedia, quae vasa, sanguine iam praeter modum distenta, relaxando, confluxum et accumulationem humorum augent, et suppurationis periculum accersunt.

Neque errant penitus, qui ita ſentiunt. Certe enim ad partem inflammatam quamcunque ſanguinem maiori, quam par eſt, copia et impetu adferri, probat ipſe affectae partis tumor et rubor praeternaturalis. Pulſus quoque, qui in parte inflammata ſueto maior et vehementior ſemper percipitur, et Ecchymoſis, quae ad quamcunque inflammationem inſignem facile accedit, morbi indolem declarant.

Contra vero, qui ad ſanandas inflammationes externas emollientium remediorum vſum ſuadent; praecipuam inflammationis cauſſam eſſe contendunt ſtimulum quendam infeſtum, qui partes, quas afficit, laceſſit, agitat, ad vehementiores oſcillationes et ſpaſticas tenſiones irritat; oleum itaque igni addere illos, qui ad partes eiusmodi laceſſitas et inflammatas remedia adhibendo adſtringentia, et diſcutientia, irritamentum morbo addunt; et quicquid hic eſt moleſtiae et periculi luculenter augent: egregie vero hic conuenire emollientia remedia, quae tenſas praeter modum

par-

partes relaxant, laceſſitas mulcent, dolorem leniunt, iuſto vehementiores oſcillationes et enormes partium affectarum motus ſedant, vimque ſtimuli illius, qui agitat, et humores allicit, mitigando, omnium optime impetum et copiam humorum auertunt et diſpellunt.

Neque hi quidem penitus errant, certe enim partes, quae inflammantur, irritari, tendi, agitari praeter modum, ipſe probat dolor acerbus partis inflammatae, ſecretio praeter modum aucta, vel penitus cohibita, irritabilitas et ſenſibilitas aucta; probant plurimae affectiones ſpaſticae, quae inflammationes vtplurimum comitantur, probat tandem inflammationum frequentioris cauſſae indoles, quae plerumque irritamenti aliquid adfert parti, quam adficit.

Quid inter hos diſſenſus certum exploratumque ſit, paucis iam diſquiram. Atque vtrumque horum remediorum, emollientium ſcilicet et adſtringentium genus certis, neutrum quibusuis in ca-

ſibus conuenire arbitror. Generatim vero in ſanandis inflammationibus eo inprimis reſpiciendum eſt, vt obtundatur vel tollatur ſtimulus ille, qui agitat, conſtringit, tendit, vt infringatur vel auferatur penitus vis illa, quae impellit humores impetuoſe in partem inflammatam; his enim ſublatis, ſponte ſubſidet tumultus, et diffluit ſponte quicquid humorum praeter modum accumulatum hic eſt. Tantum itaque abeſt, vt augeant, relaxando vaſa humoribus praeter modum diſtenta, accumulationem humorum remedia emollientia, vt potius potenter illam imminuant, obtundendo ſtimulum, qui illos allicit, vimque infringendo, quae illos impellit: tantum abeſt, vt haec remedia periculum ſuppurationis accerſant, vt potius potenter illud auertant. Minus in genere diſcutientia remedia prodeſſe et ratio et experientia docet. Mitiſſimum huius generis remedium, acetum partibus inflammatis adhibitum, inſigne damnum vtplurimum creare, et inflammationes ad gangraenam vsque augere Cel.

BRAM-

BRAMBILLA *) plurimis obſeruationibus probat, ideoque illius vſum in quibuscunque inflammationibus vehementioribus damnat. Atque ſi hoc quidem de mitiori hoc remedio obſeruatur, facile intelligitur, quid metuendum ſit de potentioribus illis, quae quotidie vſurpantur. Quotidie obſeruo, quantum damni adferant oculis inflammatis ſueta illa collyria adſtringentia, quantum emolumenti emollientia.

Et abſonum ſane videtur, parti, quae ſtimulo morboſo peſſime iam irritatur, remedia adhibere, quae irritant. Probat experientia, inter interna aduerſus inflammationes remedia ea praecipue leuaminis plurimum adferre, quae turbas ſanguinis emoti ſedant, vim et tonum ſolidarum partium infringunt, et quicquid adeſt ſtimuli et irrationis auferunt, vnde concludi ſane poteſt, non prodeſſe poſſe externa remedia, quae irritant, exagitant, excitant. Pa-

 rum

*) Abhandlung vom Oxykrat. Wien, 1777.

rum tandem difficultatis haberet medela inflammationum, ſi cardo illius verteretur in diſpellenda diſcutiendaque ſanguinis copia ex parte inflammata; in promtu enim ſunt remedia, quae potenter diſpellunt, faſcia ſcilicet conſtricta et torcular. Quid enim quaeſo potentius ſanguinem exprimit faſcia hac parti, quae ſanguine abundat, circumdata? Quid vim et impetum ſanguinis a parte, in quam impetuoſe irruit, certius potentiusque arcet, torculari? Tantum vero abeſt, vt proſit, et leuamen adferat partibus inflammatis eiusmodi faſcia, vt potius ſummos excitare cruciatus, ingens creare inflammationis augmentum, et ſummum grangraenae periculum, quotidie experientia doceat; vnde, quae ſimili fere modo agunt remedia adſtringentia, parum hic vtplurimum prodeſſe, concludi poteſt.

Apparet, niſi fallor, ex dictis, magis vtplurimum partibus inflammatis conuenire remedia emollientia et relaxantia, quam adſtringentia et diſcutientia. Interim his quoque ſubinde lo-

locum esse, negari nequit. Animus itaque iam est paullo accuratius distinguere et determinare casus, qui hoc vel illud remediorum genus requirunt.

Quotiescunque inflammatio atoniae, relaxationi, et debilitati vasorum potissimum tribuenda esse videtur; adstringentia et discutientia remedia externa conuenire, dubitari nequit. Referri huc potissimum debent omnes fere illae inflammationes, quae validas totius corporis vel partis cuiusdam commotiones et contusiones sequuntur. Huius generis est perniciosa illa inflammatio cerebri illiusque membranarum, quae vulnera capitis contusa frequenter comitatur et sequitur, et quam ex obseruatione Cel. SCMVCKERI aqua frigidissima externe adhibita optime auertit vel tollit. Sunt quoque eiusdem indolis omnes inflammationes, quae ecchymoses et suggillationes, fracturas ossium simplices sine dislocatione, vel statim repositas comitantur et sequuntur. Pertinet huc grauis illa inflammatio articulationum, inprimis femoris, ex commotione et con-

contuſione articulationis naſcens, prona in ſuppurationem et cariem; vt alias plures taceam. Facile intelligitur, augeri in eiusmodi caſibus inflammationem illiusque cauſſam, quae eſt atonia, vſu emollientium; et dubitari nequit, tonum vaſorum quamprimum reſtituere, humores ſtagnantes et accumulatos diſcutere hic debere Chirurgum, vt inflammationem imminentem auertat, vel natam tollat.

Aduerſus inflammationes, quae ex irritatione potiſſimum oriuntur, emollientia proficiunt. Tollit in eiusmodi caſu cauſſam morbi, certe minuit illius effectum, qui emollit, humectat, relaxat, auget morbum illiusque cauſſam, qui irritat.

Quotiescunque in loco inflammato dolor, tenſio, ſiccitas cutis vehementer et inprimis vrget, emollientia proſunt; quodſi vero adeſt ingens partis inflammatae tumor parum dolens, adſtringentia et diſcutientia remedia requiruntur. Facile patet ratio. Quicquid in

priori

priori casu adest vel imminet molestiae et periculi, id ex dolore inprimis oritur, ille itaque sopiri emollientibus debet. Auget illum, quicquid irritat. Facile in posteriori casu pars inflammata fert adstringentia, immo requirit, vasorum enim praeter modum distentorum actio excitari, tonus restitui debet, vt dispellatur molesta humorum copia, et auertatur, quod imminet, rupturae et extrauasationis periculum. Occurrunt subinde inflammationes, quae non omnino dolent, atque his adstringentia remedia inprimis proficua sunt.

Inflammationibus, quarum sanatio sine suppuratione obtineri nequit, emollientia quamprimum adhibenda sunt. Atque huius quidem generis inprimis sunt inflammationes vulnerum, quae futuram chirurgicam non admittunt. Obtineri eiusmodi vulneris sanatio sine suppuratione nequit. Absonum itaque est, adstringentia remedia illis adhibere, quae suppurationem retardant, immo penitus impediunt. Nihil certius citiusque impetum inflammatorium sedat,

quam ſuppuratio; haec enim quando apparet, euaneſcere inflammationem quotidie obſeruamus. Facile itaque intelligitur, puris geneſin accelerare debere, qui citam inflammationi adferre medelam vult. Peſſime ſane agunt, qui vulnera recentia humectant perfundunt-que liquoribus ſpirituoſis aromaticis, quae, quicquid ſtagnat et accumulatum eſt in vicinia vulneris, diſcutere, et impetum inflammatorium in partem inflammatam auertere dicuntur. Exſiccant haec remedia vulnus, conſtringunt orificia vaſorum diſruptorum diſſectorumque, et claudunt viam, qua effluere poſſent humores, quae ſtagnant, et irritant. Tantum itaque abeſt, vt diſcutiant liquores hi ſpirituoſi humores ſtagnantes in vicinia vulneris, vt potius impediendo, quo minus profluant in vulnus, ſtaſin et accumulationem illorum iuuent, et tumorem, inflammationem, et quicquid hic imminet periculi, augeant. Qui emollientia remedia adhibent, aperiunt vaſorum orificia, quibus effluere poteſt, quicquid humorum vul-

vulneri molestum est, et ita potenter inflammationem auertunt.

Acutae inflammationes vtplurimum emollientia, lentae et chronicae potius adstringentia requirunt: illae enim plerumque ex irritatione, hae ex atonia et debilitate nascuntur. Negari quidem nequit, occurrere etiam inter chronicas, quae ex irritatione oriuntur; interim tamen nisi primum adfuerit, ipsa diuturnitate morbi tandem nascitur atonia, vt illius itaque ratio in sanandis inflammationibus chronicis sedulo semper habenda sit. Ipse sane intuitus morbi genium, medelaeque rationem declarat: quicquid enim in acutis apparet, auctam vtplurimum vim et actionem solidorum, quicquid in chronicis apparet languidas vires prodit. Inprimis vero hoc valet de scrophulosis inflammationibus, quae inter chronicas praecipuae fere sunt et frequentissimae.

Raro impune adhibentur adstringentia medicamenta ad partem inflammatam, quae acrem humorem emittit.

Scilicet metuendum eſt ſemper, ne conſtringendo vaſorum orificia, ſupprimant haec medicamenta fluxum illum acris humoris, qui retentus irritat, morbique vehementiam non augere non poteſt. Addi poteſt, abſonum eſſe acria medicamenta, cuius generis vtplurimum ſunt adſtringentia et diſcutientia, adhibere ad partes, quae acribus humoribus vruntur et inflammantur, et manifeſto hic requiri medicamenta blanda emollientia, mucilaginoſa, quae diluunt, obuoluunt, mitigant irritantem acrimoniam, partesque irritatas mulcent. Exemplum huius generis offert inprimis ophthalmia humida catarrhalis vel rheumatica. Torrentem oculus hac ophthalmia affectus acerrimarum lacrymarum fundit, quae non ſolum oculum ipſum, ſed et partes vicinas, palpebras, genas, nares vrunt, inflammant, exulcerant. Dici vix poteſt, quantum hic attulerint damni adſtringentia remedia, quantum adferant leuaminis emollientia mucilaginoſa. Iure quoque huc referri gonorrhoeam virulentam nullus dubito, neque illis aſſentio, qui tuto adſtringentia re-

me-

media in vrethram iniici contendunt. Nefas enim esse puto, partibus acri veneno irritatis, remedia irritantia affundi, persuasumque habeo, impune nunquam supprimi fluxum, qui acre eluit venenum, allatosque in partem inflammatam iusto copiosius humores euacuando tumorem et distentionem minuit.

Quae, dum incipit et increscit, aegre molesteque, sub finem plerumque facile fert, immo poscit remedia adstringentia quaecunque inflammatio. Scilicet mansuescit, et sensim penitus euanescit sub finem morbi dolor et irritatio, remanente vtplurimum tumore, soli iam atoniae vasorum et stasi ac accumulationi humorum tribuendo. Ille autem mollis subinde est, et fere oedematosus, atque tunc quidem inprimis adstringentia fortiora spirituosa requirit; subinde vero insignem habet duritiem, quae extrauasatis spissisque humoribus debetur, et resoluentia poscit. Quo maior autem fuit inflammationis vehementia, eo maior plerumque sequitur par-

partium affectarum atonia, eoque magis opus est adstringentium et roborantium medicamentorum longo vsu, vt auferantur penitus reliquiae morbi, partisque ad nouas inflammationes facile excitandas prona debilitas.

Vt cognoscat in quouis casu veram inflammationis indolem, et quam requirit, medelae rationem, habitum aegroti respiciat Chirurgus, necesse est. Facile vtplurimum ferunt adstringentia et discutientia remedia corpora laxa, spongiosa, torpida, humoribus inertibus referta; contra vero, quae sunt sicca, calida, insigni sensibilitatis et irritabilitatis gradu praedita melius vtplurimum ferunt emollientia. Vti vero corpora varia, ita etiam variae eiusdem corporis partes vario sensibilitatis gradu gaudent. Quo sensibilior autem pars est, quae inflammatur, eo magis, in vsu acriorum adstringentium discutientiumque medicamentorum cautus circumspectusque sit Chirurgus, necesse est: tuto contra eiusmodi remedia vtplurimum adhibentur partibus, quae sunt segnio-

ris

ris naturae, et minori ſenſibilitatis gradu praeditae.

Simulatque in parte inflammata pus oritur, emollientia adhiberi medicamenta fas eſt. Varia tamen ſaepe in hoc caſu partis affectae conditio eſt, nec ſemper eiusdem penitus indolis remedia conueniunt. Scilicet locum illum, qui pus continet, circumdat ſaepe tumor rubens et valde dolens; aliquando vero parum dolet tumor ille et valde durus eſt; in priori caſu mere emollientia adhiberi, in poſteriori his acria ſtimulantia addi, conducit.

Haec generatim dicta ſunt; plura quemlibet, qui haec obſeruat, docebit ratio et experientia.